MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80211-10

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

FLEMMER, HANS MORTEN

TITLE:

ITINERIBUS ET REBUS GESTIS HADRIANI...

PLACE:

HAUNIAE

DATE:

1836

Master Negative #

91-80211-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

874
Z8 Flemmer, Hans Morten, 1797-1864.
v.6 De itineribus et rebus gestis Hadriani imperatoris secundum numorum et inscriptionum testimonia... Hauniae, typis excudebat J. D. Quist, 1836.

viii, 143 p. 19½ cm.

Thesis, Copenhagen.

Volume of pamphlets

112938

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 9-11-91 INITIALS M.B.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

CONTENTS.

DE ITINERIBUS ET REBUS GESTIS
HADRIANI IMPERATORIS
SECUNDUM NUMORUM
ET INSCRIPTIONUM TESTIMONIA.

COMMENTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES INTER
PUBLICA SOLENNIA ECCLESIÆ ANTE TRECENTOS
ANNOS IN DANIA REFORMATÆ
RITE OBTINENDOS

RESPONDENTE

Doctissimo SEV. LUDOV. POVELSEN

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JOANNES MARTINUS FLEMMER,
RECTOR SCHOLÆ RANDRUSIENSIS.

DIE XIII JULII H. L. Q. S.

HAUNIÆ.
TYPIS EXCUDEBAT J. D. QUIST.
MDCCCXXXVI.

Hanc dissertationem, quam auctor ab ordine philosophorum in academia Hauniensi invitatus conscripsit, ordo dignam censet, quae publicae disputationi subiiciatur.

Hauniae, d. 1 Julii 1836.

J. W. Hornemann,
h. a. decan. fac. philos.

Conspectus argumenti.

Prooemium.

Hadrianum imperatorem totum fere imperii tempus in itineribus faciendis consumpsisse constat. Vulgo statuunt eum totum orbem Romanum *bis* peragrasse, sed quo ordine et tempore singulas provincias adierit, parum exploratum est. Neque omnino verum est quod dicunt, *omnes* provincias eum bis adiisse, quamquam concedimus itinera Hadriani in duos magnos orbis Romani circuitus commode posse distribui. Nam ut de Dacia, Illyrico, Rhætia, Mauretania taceam, Germaniam, Britanniam, Hispaniam non nisi semel adiit; Galliam bis quidem visitavit sed eodem itinere, interjecto tantummodo semestri spatio, quo in Britanniam excurrit; Athenas saltem ter, fortasse sæpius videtur venisse, quamquam non nisi duarum commorationum certa exstant vestigia; in Ægyptum sunt qui eum quater venisse opinentur, quum nobis verosimile quidem videatur eum bis eo venisse, ita tamen ut prioris adventus in hanc provinciam non nisi obscura sint vestigia. De ordine et tempore itinerum etiam major est controversia; et, quod mireris, quum de provinciis illis, in quibus breviore temporis spatio commoratus est, ut Gallia, Germania, Britannia, Hispania, nihil fere ambigatur, de Achaia, Asia, Ægypto in quibus totos annos quasi domicilii sedem fixit, quas beneficiis cumulavit, in quibus innumerabilia reperiuntur itinerum testimonia, de his inquam incerta sunt omnia. Neque de Judæa, in qua gravissimum bellum gessit, internecione fere Judæi nominis finitum, satis constat utrum ante an post bellum finitum eo venerit, utrum ipse

præsens bello interfuerit, an per Legatos rebelles devicerit; quum alii dicant eum ipsis imperii initiis hanc provinciam peragrasse et bellum composuisse, alii, quorum verior est sententia, sub finem demum imperii hoc bellum exarsisse statuant, Hadrianumque his turbis commotum ex Ægypto in Judæam discessisse; quamquam ne sic quidem satis constat, utrum tunc primum eo venerit, an jam ante bellum gliscens per Judæam profectus sit. Illustre exemplum erroris dat Corsinius (*Fasti Attici, II, p. 105 sqq.*), de tempore quo dedicatum sit Olympieum disputans. Hoc ille ab Hadriano factum esse statuit anno 885, quum annum 883 ponere deberet. Atque magni illius nominis auctoritatem quum sequuti sint reliqui quod sciam omnes, vel in graves errores se induerunt, vel ordinem itinerum Hadriani expedire se posse desperarunt. Non igitur mirum est, si viri docti has tenebras dispelli et dubitationes tolli desiderarunt. Duos tantummodo nominabo magni nominis viros. Schlosser (Universalhist. Uebersicht d. Geschichte d. alten Welt, III, I, p. 322) et F. Münter (Der jüdische Krieg p. 30) optandum esse dixerunt, ut aliquis data opera has res nondum ad liquidum perductas ita examinare conaretur, ut vel tota series itinerum Hadriani manifesto nobis pateret, vel non posse eam expediri appareret. Ex antiquis scriptoribus summa in hac re fides habenda esset Dioni Cassio, si liber ejus 69 integer ad nos pervenisset. Nunc Spartianum ducem sequi cogimur, scriptorem accuratum et fide dignum, sed haud raro obscurum et in his rebus breviorem. Ex reliquis rerum scriptoribus nemo itinera Hadriani exposuit, quamquam haud pauci res eo pertinentes obiter tangunt. Chronicographi, Eusebius, Hieronymus[1], auctor Chronici Paschalis sive Alexandrini, Malalas, Georgius Syncellus, interdum illustrant tenebras, sæpius vel omnia turbant vel tacent. Itaque magna cautio adhibenda est in narrationibus eorum sæpe invicem repugnantibus ita cum veritate rerum conciliandis, ut neque falsis temere fidem habeamus, neque vera, si qua inter errores latent, spernamus. Sed ex scriptoribus

¹) Egregie est Josephi Scaligeri editio: Thesaurus temporum cum Eusebii Chronico, Amstel. 1658.

antiquis solis, si vel omnes in unum colligantur atque testimonia eorum summo acumine invicem expendantur, nemo umquam speraverit ordinem itinerum et rerum gestarum Hadriani posse satis expediri. Majorem lucem dant nnmi et tituli. Itaque Eckhelius in Doctrina numorum veterum et Zoega in Numis Ægyptiis imperatoriis ex numis Hadriani geographicis ordinem itinerum adumbrare conati sunt. Non inutilis est Tillemontius[2], qui ex numis et inscriptionibus multas res ad itinera Hadriani pertinentes bene illustrat, quamquam idem sæpe graves admittit errores. Neque spernendi sunt Spanhemius[3] et Tristanus[4], quibus tamen non id propositum fuit ut ordinem itinerum Hadriani exponerent. Credulitatem et ἀκρισίαν Francisci Mediabarbi Biragi[5] in describendis numis Hadriani geographicis præter multos alios Eckhelius in præfatione vol. VI graviter vituperavit. Post Eckhelium Mionnetus amplissimam exhibuit collectionem numorum, unde magna lux his disquisitionibus spargitur; sed ipse nihil nisi describit numos accuratissime. Qui vel inscriptiones veteres collegerunt, vel monumenta Græca et Latina illustrarunt, Gruterus[6], Reinesius[7], Fabrettus[8], Muratorius[9], Pococke[10], Chandler[11], Paciandi[12], Clemens Biagi[13], Caylus[14] multique alii, et nunc denique Orellius, Osannus, Boeckhius, multa obiter egregie monent, multa falluntur: nemo eorum de itineribus Hadriani data opera disseruit. Peregrinatores recentiores, Wheler, Chandler, Stuart, Holland, Hobhouse, Hughes, Clarke, non id egerunt ut itinera Hadriani et res

²) Histoires des Empereurs, Paris 1700, 6 voll.
³) De usu et præstantia numismatum, Lond. et Amstel. 1715, II voll.
⁴) Commentaires historiques, Paris 1657.
⁵) Imperatorum Rom. numismata, Mediol. 1683.
⁶) Thesaurus inscriptionum, 1707.
⁷) Syntagma inscriptionum, 1682.
⁸) Inscriptiones antiquæ, 1707.
⁹) Thesaurus inscriptionum, 1739—42.
¹⁰) Inscriptiones antiquæ, 1752.
¹¹) Inscriptiones antiquæ, Oxon. 1774.
¹²) Monumenta Peloponnesia, 1761.
¹³) Monumenta Græca ex Museo Naniano 1785, et ejusdem Monumenta Græca et Latina ex eodem Museo, 1787.
¹⁴) Recueil d' Antiquités, 1752—67.

gestas explicarent, quamquam sæpe monumenta huc pertinentia illustrant. Ex his præcipue fontibus haurienda sunt testimonia passim sparsa, quibus in hac disquisitione utendum est. Eorum ope demum dijudicandum est, quo ordine et tempore Hadrianus singulas provincias peragraverit; eaque est gravissima quæstio et præcipuum hujus disquisitionis argumentum. Sed accedit alia, ut non minus gravis ita minus difficilis ad expediendum, quid quoque loco gesserit. Neque tamen ipsa omni caret difficultate, sed est secundaria. Jam vero utrum ego in his quæstionibus explicandis vera invenerim, penes lectores erit judicium.

Caput I.

Acceptis quinto Iduum Augusti die anni 870 adoptionis literis Hadrianus, tunc Legatus Syriæ, post biduum Trajani excessum comperit. Post imperium susceptum, omnibus provinciis trans Euphratem et Tigrim relictis et rebus præfecturæ regionumque adjacentium compositis, Antiochia digressus est ad reliquias Trajani inspiciendas. Quibus exceptis et navi Romam dimissis, ipse Antiochiam regressus per Illyricum Romam venit [1]. Jam vero exoritur quæstio, quo tempore Romam venisse sit putandus. Epiphanius de Pondd. et Mensuris cap. 14 p. 170 auctor est, Hadrianum primo imperii anno propter valetudinem a medicis desperatam Roma relicta Ægyptum petiisse. Cui si fidem habemus, statuendum est Hadrianum celeritate usum esse pæne incredibili, qui ne dimidia quidem anni parte reliqua rerum statum in præfectura sua composuerit, Romamque profectus sed inde statim digressus ante anni finem in Ægyptum pervenerit. Neque vero ulla aderat causa festinandi, quoniam adversam valetudinem sub finem demum imperii ei accidisse constat. Quumque præterea, quod suo loco docebitur, adventus Hadriani in Ægyptum non ante sextum imperii annum, id quod statuit Chronicon Pa-

[1]) Spartian. in Vit. Hadr. c. 4 et 5.

schale, et fortasse etiam serius poni debeat, per se apparet, quam nulla fides Epiphanio sit habenda. Relictis igitur ejus erroribus, si quis modo multitudinem rerum, quas teste Spartiano c. 6 ante gesserit, quam iter primum Romam versus susceperit, accurate perpendere velit, probabile fit Hadrianum non ante secundum imperii annum Romam pervenisse. Expeditionem Moesiacam ad Sarmatas et Roxolanos comprimendos Hadrianus teste Spartiano ante suscepit quam Romam venit. Ipsum interfuisse his rebus testantur et verba Spartiani: "audito dein tumultu Sarmatarum et Roxolanorum, præmissis exercitibus Moesiam petiit"; et numus ap. Eckhel. D. Num. Vet. p. 499, antica solita, inscriptus: *Adventui Aug. Moesiæ. S. C.;* et alius numus ap. eundem eadem antica inscriptus: *Exercitus Moesiacus. S. C.,* repræsentans imperatorem milites alloquentem. Et quod inscriptio ap. Golzium, Thes. rei Antiqu. Antwerp. 1618, p. 67 facit eum iterum imperatorem [2] tertio imperii anno, id quoque sententiam nostram confirmat. Eodem tempore Hadrianum in Daciam excurrisse testatur marmor ap. Gruter. p. 249, 4, Hadriano Trib. Pot.

[2]) Ex marmoribus patet Hadrianum non nisi bis imperatorem fuisse. Gruter. p. 249, 8: Tr. Pot. XX, Imp. II, Cos. III, P. P. Idem. p. 252, 2: Tr. P. XXI, Cos. III, Imp. II, P. P. Inscriptio ap. Boeckh. I p. 566 Megaris posita post Olympieum dedicatum, i. e., ut vulgo putant post annum 885, ut nos statuimus post annum 883, prædicat Hadrianum τὸν δὶς αὐτοκράτορα. Ex inscriptione ap. Grut. p. 218, 8 patet Hadrianum Imp. II atque postremum fuisse in Trib. Pot. III, quæ cadit in annos 872—873. Hinc sequitur ut in inscriptione ap. Gruter. p. 197 pro Trib. Pot. V Imp. IIII legendum sit Imp. II. Similiter emendandæ sunt quatuor inscriptiones ap. Murator. p. 232 Cos. II, Imp. IX; p. 233 Trib. Pot. VI Imp. VI; p. 451 Trib. Pot. IIII Imp. III; et alia eadem p. Trib. Pot. V, Imp. IIII. Una inscriptio ap. eundem eadem p. habet: Trib. Pot. XIIX, Imp. Cos. III, nulla nota numerali ad Imp. addita.

II, Cos. II a Colonia Ulpia Trajana Augusta Daciæ positum, quo Dacia Hadriani virtute imperio addita felicem se prædicat; tum duo numi ap. Eckhel. p. 494, quorum alter inscriptus est: *Dacia S. C.;* alter inscriptus: *Exerc.* vel *Exercitus Dacicus S. C.*, repræsentat imperatorem equitem dextra elata milites alloquentem. Quod Eckhel marmor illud vel suppositicium vel infamis adulationis reum judicat, adulationem concedimus, sed non ideo nulla est ejus auctoritas ad adventum Hadriani in Daciam probandum. Et suppositicium esse, nullo probabili argumento potest evinci. Eutropius quidem VIII, 3, refert voluisse Hadrianum de Dacia revocare exercitus, sed ab amicis esse deterritum. Quod vero, ut refert Dio Cassius p. 1130, pontem Danubio impositum solvit[3], id nullum argumentum est contra auctoritatem marmoris. Dio C. p. 1158 refert equites Hadriani armatos Danubium nando trajecisse, quo metu perculsos barbaros Hadrianum controversiarum suarum fecisse arbitrum[4]. Et teste Spartiano c. 6 Marcium Turbonem post Mauretaniæ præfecturam Pannoniæ Daciæque ad tempus præfecit. Cognomen Dacici Hadriano additum esse duo testantur marmora dubiæ fidei ap. Murator. p. 451, 1 et 2, quæ postea describam.

Non tamen diu eum in his regionibus remansisse, sed celerrime, fere exeunte secundo Consulatu Romam digressum esse, sequetur ex iis, quæ mox disputabimus. Sed mirum unde factum sit ut Eckhel. neget veteres quidquam de Hadriani in Moesiam itinere prodidisse. Cæterum non negamus fieri potuisse, ut si vel per

[3]) Tzetz. Chil. II, 82: Ἀδριανὸς .... τὴν γέφυραν κατέλαβε λαβὼν τὴν βασιλείαν Μὴ Δάκαις αὕτη γίνοιτο δρόμος κατὰ Μυσίας. De scriptura Μυσίας vide Kiessling.

[4]) Suidas in Ἀδριανὸς male intellectis Dionis verbis Hadrianum solum tranasse dicit.

Legatos vicisset Sarmatas, tamen imperatoris titulum adsumeret; sed contrarium suadent argumenta supra allata. Certamina in ejus honorem Pinci celebrata, quod oppidum est Moesiæ superioris, indicare videtur numus ap. Harduin., Numi ant. illustr. sub. Pinc., cum inscriptione aversæ: *Æliana Pincensia*, intra coronam. Harduinum enim et Morellium, Specim. rei numariæ ant. p. 216, qui censent indicari certamina in Ælii Hadriani honorem Pinci celebrata, non dubitamus potius sequi quam Eckhelium, qui p. 146 hunc numum inter metallicos refert. Nicopolin, oppidum Moesiæ inferioris Hadriani nomine vocitatam esse testatur numus hujus urbis ap. Mionnet, I, p. 359, inscriptus Ἀδριανοπολειτῶν. Cæterum Zoega, Numi Ægyptii imperat., in errorem incidit, numum Alexandrinum no. 72 cum nota anni η′ et arcu triumphali, et sequentem ejusdem anni cum imperatore in quadrigis triumphalibus præcedente Victoria, ad victoriam in expeditione Moesiaca reportatam respicere statuens. Sed ad expeditionem Moesiacam respicere videntur numi Alexandrini ap. Mionnet, VI, p. 145 cum nota anni β′, in quibus Hadrianus repræsentatur chlamydatus. In uno ejusdem anni repræsentatur in quadrigis elephantorum, et in uno in quadrigis, d. ramum lauri, s. aquilam Romanam tenens. Tres similes anni γ′ habet Mionnet p. 148 et 149. Docebitur postea annum Alexandrinum tertium incepisse a. d. IV Cal. Sept. anni 871.

Diximus Hadrianum exeunte fere secundo Consulatu Romam venisse. Quam suspicionem egregie confirmant numi anni 871, inscripti: *Adventus Aug. Cos. II*, quos Eckhel et in Doctr. Num. Vett. et in Catal. Mus. Cæs. exhibet. Unum tantummodo afferamus e D. N. V. p. 477, cujus aversa inscribitur: *Adventus Aug. Pont. Max. Tr. Pot. Cos. II.* Typus aversæ est Roma galeata, s. hastam tenens, dextram jungens cum imperatore paludato adstante. Huc pertinet præterea numus ap. eundem p. 495

inscriptus: *Adventui Aug. Italiæ*, in quo imperator et Italia stantes ad aram sacra faciunt[5]. Eodem pertinet numus Hadriani ap. Tristan, Comment. hist., I, p. 476, cujus aversa inscribitur: *Pontif. Max. Tr. Pot. Cos. II. Fort. Red.*, id est, Fortunæ reduci. In area apparet templum, Occone judice exstructum Fortunæ propter felicem Hadriani ex Africa reditum, ubi rebellionem gliscentem exstinxisset. Verum Occonem, judicem in his rebus non valde sagacem, fefellit temporum ratio, quoniam quarto demum imperii anno victoria de Mauris reportata est. Ad numum illum explicandum pertinet inscriptio ap. Orell. I p. 185: *Pro salute Imperat. Hadriani Aug. P. P. Fortun. Red. decreto C. U.* (civium universorum) *Pec. Publ.* Quum Orellius annotet incertum esse quo loco reperta sit hæc inscriptio, sed eam nunc Romæ exstare, non audeo pro certo affirmare, quamquam verosimile est, universos cives Romanos primum illum Hadriani adventum hac inscriptione celebrasse. Quod vero Hadrianus hac inscriptione Patris patriæ nomen gerit, id nihil me movet, quamquam Eckhel affirmat hunc titulum in marmoribus, quibus quidem fides sit habenda, numquam ante Trib. XII reperiri. Docebitur enim postea cap. IV, hunc titulum in multis numis et in marmoribus quibusdam, quamvis paucissimis, primi et secundi Consulatus inveniri; deinde per decennium totum intermissum a Pot. Trib. XII rursus apparere.

Romam quum venisset Hadrianus anno 871 patrem consecravit, id quod testantur duo numi ap. Eckhel.

---

[5]) De typo sacra facientium vel victimæ in numis Hadriani adventum significantibus vide, si tanti est, Agam. Senecæ, 400: "Sacris colamus prosperum tandem diem"; et Agam. Æsch. 825 Wellauer: Νῦν δ' ἐς μέλαθρα καὶ δόμους ἐφεστίους Ἐλθὼν θεοῖσι πρῶτα δεξιώσομαι.

p. 477. Atque secutus morem priorum variis modis et ante et post adventum suum populi benevolentiam captavit[6]. Liberalitatem Hadriani testantur plures numi ap. Eckhel. p. 476. Unus inscriptus: Pont. Max. Tr. Pot. Cos., repræsentat congiarium. Hic pertinet ad annum 870, quum Hadrianus nondum Romam venisset. Rem confirmant verba Spartiani c. 6: "Ad refellendam tristissimam de se opinionem, quod occidi passus esset uno tempore quatuor Consulares, Romam venit, ... et ad comprimendam de se famam congiarium duplex præsens populo dedit, ternis jam per singulos aureis se absente divisis." Liberalitatem, quam præsens populo præstitit, testatur numus ap. Eckhel. p. 477 cum epigraphe aversæ: *Liberalitas Aug. Pont. Max. Tr. Pot. Cos. II. S. C.* Eodem anno debitum fisci remittit. Huc pertinet numus ap. Eckhel. p. 478. Antica inscribitur: *Imp. Cæsar Trajanus Hadrianus Aug. P. M. Tr. P. Cos. II*[7]. Av. *Reliqua vetera H. S. novies mill. abolita.* Typus est Lictor stans syngraphas humi jacentes admota face comburens, s. fasces. Eundem numum habet Tristan I p. 476. Ad typum explicandum pertinet Plutarch. in Agide c. 13: τὰ παρὰ τῶν χρεωστῶν γραμματεῖα συνεισενέγκαντες εἰς ἀγορὰν .... καὶ πάντα συνθέντες εἰς ἓν ἐνέπρησαν. In aliis numis similibus adstant præterea duæ figuræ, vel interdum tres, ut in numo ap. Spanh. II, p. 552. Per reliqua vetera intelligenda esse publica et fiscalia debita e residuis provincialium tributis et vectigalibus observat Burmann. de Vectig. P. R. p. 65 sqq[8].

---

[6]) De liberalitatibus et inprimis congiariis ab imperatoribus populo datis cfr. Spanh. de Usu et Præst. Num. II p. 529—544.

[7]) Scaliger, qui p. 210 in not. ad Hieron. Chron. eundem numum describit, habet per errorem *Cos. III.*

[8]) De reliquis ab Hadriano abolitis cfr. eruditam disquisitionem Spanhemii II p. 552—561. Abulfaragius teste Spanhemio tradit Hadrianum *primo* imperii anno vectigalia fisco debita remisisse. Errorem adeo levem circa chronologiam Abulfaragio facile condonamus.

Rem confirmat Spartian. c. 7: "Infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, privatis debitoribus in urbe atque Italia, in provinciis vero etiam ex reliquis ingentes summas remisit, syngraphis in foro Divi Trajani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis." Tum Dio Cass. p. 1156: ἐλθὼν εἰς τὴν Ῥώμην ἀφῆκε τὰ ὀφειλόμενα τῷ τε βασιλικῷ καὶ τῷ δημοσίῳ τῶν Ῥωμαίων, ἑκκαιδεκαετῆ ὁρίσας χρόνον, ἀφ᾽ οὗ τε καὶ μέχρις οὗ τηρηθήσεσθαι τοῦτο ἔμελλε. De qua remissione cfr. computationem Jos. Scaligeri in not. ad Euseb. Chron. p. 210, tum auctores quos laudat Reimarus ad Dion. l. l. Idem testatur Euseb. in Chron. l. I, p. 45: "Reliqua tributorum urbis relaxavit, chartis publice incensis. Plurimos etiam ipsis tributis liberos puæstitit." Id quod in libro posteriore p. 166 et in Græco textu p. 210 ad annum 872 refertur. Ejusdem fere argumenti est marmor illud notissimum ap. Orell no. 805: "*Imp. Cæs. Divi Trajani Parthici F. Divi Nervæ Nep. Trajano Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot. II Cos. II, quod unus omnium principum et solus remittendo sestertium novies millies centena millia N.* (nummum) *debitum fisci non præsentes modo sed et posteros præstitit hac liberalitate securos.*" Eandem rem obiter tangit marmor aliud ap. Murator. p. 451, 1 (ap. Orell. no. 806), cui non magna fides habenda est. Apponam tamen, ut suum cuique judicium liberum relinquatur: "*Imp. Cæsar. D. Nervæ Trajani F. D. Nervæ nepos Hadrianus Trajanus Aug., Dacicus Maximus, Britannicus Maximus, Germanicus Maximus, Pont. Max. Tr. Pot. II Cos. II, præterquam quod provinciis remisit decies novies centena millia N. sibi debita, a Munda et fluvio Sigila ad Certimam*[9] *usque XX M. P.*

---

[9]) De hac urbe cfr. Mannert I, p. 391.

P. S. restituit." Vestigia τῆς νοθείας non sunt obscura. Similis argumenti est ea quæ sequitur ap. Murat. inscriptio, quæ nec ipsa caret suspicione. Sed de illa inscriptione, quam ex Orellio no. 805 descripsi, non videtur ulla esse causa dubitandi. Jam vero quum Trib. Pot. II incipiat medio fere mense Aug. anni 871, et secundus Consulatus finem habeat exeunte anno 871, non potest de tempore hujus remissionis ulla controversia esse.

Præter beneficium illud remissionis debitorum fiscalium Spartian. c. 6 et 7 plura commemorat, ex quibus præcipua modo commemorabimus. Aurum coronarium Italiæ remisit, in provinciis minuit; cursum fiscalem instituit, i. e., instituit ut, si quid a magistratibus provincialibus ad imperatorem vel ab imperatore ad magistratus mittendum erat, non ut antea homines provinciales juberentur suo sumptu vehicula et jumenta præbere, sed impensæ a fisco præberentur [10]. Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit. De his Trajani beneficiis in pueros et puellas cfr. Eckhel. p. 424 sqq. Murat. p. 330, 5; 338, 2, 3, 4; Spanh. II p. 542 sqq. De Hadriani benignitate adversus liberos proscriptorum cfr. Meier de bonis Damnat. p. 227. De sequentibus liberalitatibus Hadriani cfr. sex numos ap. Eckhel. p. 504, tum unum p. 506 inscriptum: *Locupletatori orbis terrarum S. C.;* et alium p. 504 inscriptum: *Restitutori orbis terrarum.* Huc pertinet inscriptio Anemurii, Ciliciæ urbis, ap. Boeckh. no. 334, quæ Hadrianum prædicat τὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου. Beneficia in Italiam collata prædicant duo numi ap. Eckhel. p. 495, alter inscriptus *Italia*, alter *Restitutori Italiæ.* De liberalitate Hadriani adversus privatos quoque cfr.

[10]) Cfr. Schlosser, Universalhistorische Uebersicht, Tom. III, 1, p. 375: Hadrian wollte sogar die ganze Anstalt der kaiserlichen Posten auf die Staatscasse nehmen.

Dion. Cass. p. 1154; Spartian. c. 15 et 22. Neque hoc loco omittendæ videntur inscriptiones quædam ad hoc tempus pertinentes, quæ vel in honorem Hadriani positæ sunt vel beneficia ab eo in varias Italiæ partes collata prædicant. Ap. Orell. no. 808 exstat inscriptio Nursiæ apud Sabinos reperta, quæ sic desinit: *Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot. II Cos. III D. D.* Alia apud Murat. p. 451 apud Vulturnum reperta: *Imp. Cæs. Divi Trajani F. Ælius Hadri. Cos. II Trib. Pot. subversum restituit.* Porro alia ap. eundem p. 1082 apud Suessam reperta, quam urbem Plin. in Umbria sitam commemorat: *Imp. Cæs. Ælio Adriano* (sic) *Cos IIII* (lege III) *P. P. Collegium Centonar. Suasanor.* Præterea inscriptio urbis Heracleæ Italiæ ap. eundem p. 233 ita desinit: Τραϊανὸν Ἀδριανὸν Σεβαστὸν δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ γ' ὕπατον τὸ γ'. Addam denique inscriptionem ap. Murat. p. 232 valde mutilatam et fortasse spuriam: "*Imp. Cæsar. Divi Trajani Parth. ..... Divi Nervæ nepoti Trajano Hadriano Cos. II Imp. IX* (lege II) *Pat. Pat. Conservatori ..... Lucius Annius Præstantius ædem parim. .... Sign. Tab. Æn.*" Spuriam esse suspicatur et propter errorem in Imp. IX, et propter scripturam Pat. Pat., quum vulgo soleat P. P. scribi. Quod si vero genuina esset, inde videretur posse probari, jam tunc divinos honores Hadriano esse habitos; nullam enim aliam sententiam inde mihi videor posse elicere, quam Lucium Annium illum ædem Hadriano exstructam ornasse. Divinos honores postea apud exteros Hadriano habitos fuisse postea docebitur, sed num per Italiam jam hoc tempore valde dubito. Nicephorus Callistus III c. 34 [11] auctor est divinos honores Hadriano propter debita fiscalia

[11]) ὁ Τραϊανὸς Ἀδριανῷ .... τὴν ἀρχὴν καταλείπει. ἀνίησι δ' εὐθὺς τὰς δημοσίας τῶν πόλεων ὀφειλάς. καὶ πολλοὺς δὲ φόρους τοῖς Ῥωμαίοις χαρίζεται. ὅθεν ἡ πόλις θεϊκὰς ἀφωσίου τούτῳ τιμάς.

remissa statim in urbe esse habitos; sed errasse illum vix opus est monere. Ædem Hadriano voto suscepto dedicatam et vetustate collapsam circa initium imperii Caracallæ restauratam fuisse docet Scaliger in not. ad Hieron. Chron. p. 210 ex inscriptione ap. Gruter.

Hadrianum aliquamdiu, annum fere totum, Romæ remansisse, antequam itinera inciperet, quæ reliquum vitæ spatium occuparent, non solum probabile est sed argumentis docebitur, ubi de tempore primæ peregrinationis disserendum erit. Hic numos quosdam afferamus, in quibus sive gratus animus sive adulatio providam Hadriani curam et florentem rerum statum jam in imperii initiis prædicat. Ap. Tristan I p. 475 occurit Hadriani numus anni 872 inscriptus: *P. M. Tr. P. Cos. III, Sæc. aur.*[12] Typus est Æternitas circulo inclusa globum tenens in quo stat aquila. Verum quum hic numus non nisi Occonem auctorem habeat, non multum ei tribueremus, nisi Tristan ipse testaretur alium se similem aliquando vidisse. Ap. eundum p. sq. Hadriani numus affertur ejusdem anni, quem sic describit: Antica inscripta est: *Imp. Cæs. Trajan. Hadrianus Aug.* Typus est caput Hadriani sub effigie Jovis. Aversa inscripta: *P. M. Tr. P. Cos. III S. C.*, exhibet ædificium quadratum ex cujus tecto surgit calamus aristæ. Id quod Tristan explicat de horreis conditis, laudans verba Spartiani c. XI, "*Laborabat præterea ut condita militaria diligenter cognosceret.*" Atque docere conatur hæc horrea etiam privatorum usui concessa fuisse, si quid pretiosi ibi condere vellent. Quid sit ap. Spartianum *condita militaria*, et ap. Capitolin. in Gordian. c. 28 *totius anni in aceto, frumento et larido atque hordeo*

[12]) De inscriptione *Aureum Sæculum* in numis Hadriani cfr. Spanh. I p. 151. In Commodo decretum est teste Dione p. 1216 ut ejus imperium sæculi aurei nomine vocaretur.

et paleis condita, nescire me ingenue fateor, atque video etiam alios me longe doctiores de obscuritate Spartiani esse conquestos[13]. Vulgo explicant de horreis, et videtur quoque ita esse explicandum, sed affirmare non ausim. Hoc video, locum illum Spartiani ad numum quem diximus explicandum parum valere, atque totam Tristani explicationem de horreis conditis esse ut non omnino ineptam et absurdam, ita nullo certo fundamento nixam. Sed ad agriculturam tamen spectare hunc numum, perspicuum est. Quodammodo huc pertinet numus ap. Tristan p. 479, inscriptus: *Tellus Stabil.*, in quo apparet vir stans s. ancoram s. vomerem tenens, ad pedes spicæ. Tristano judice hic numus significat, non solum agriculturam tuto ut in pace sine bellorum metu restitutam, verum etiam spem illam fore ut propter Hadriani adversus deos pietatem terræ motus huc usque frequentes desinerent. Laudat verba Spartiani c. 21: "*Fuerunt ejus temporibus fames, pestilentia et terræ motus, quæ omnia quantum potuit procuravit, multisque civitatibus vastatis per ista subvenit.*" Cujus explicationis quamquam vereor ut ultima pars doctis probetur, id tamen veri continet, pacem ab Hadriano stabilitam esse, ut agris colendis tuto possent homines dare operam. In catalogo numm. Timmii p. 122 no. 1228 describitur numus cum eadem epigraphe, cujus typus est vir stans d. ligonem, s. rastrum. Qui utrum idem sit, quem describit Tristan, nescio. De Hadriani adversus deos pietate nec non de urbibus inprimis Asiæ per terræ motus vastatis et ab illo restitutis alibi erit locus disserendi.

[13]) Schlosser, Universalhist. Uebersicht, III, 1, 375: "Die vielen Räthsel, welche Spartian in seiner wunderlichen Art zu schreiben aufgiebt."

Caput II.

A Gallia incepisse itinera Hadriani[1] apparet ex verbis Spartiani, qui commemoratis variis rebus ab Hadriano Romæ institutis c. 10 sic pergit: "*Post hæc profectus in Gallias omnes causariis liberalitatibus sublevavit.*" In tempore accuratius constituendo leviter erravit Tillemontius, Hist. des Emper. p. 237, annum 873 statuens. Nam Hadrianum jam anno 872 in Gallia fuisse, indicare videtur inscriptio ap. Reinesium p. 305 (ap. Orell. no. 809): *Imp. Cæs. D. Trajani Parthici Fil. D. Nervæ nepoti Trajano Hadriano Aug. Pontif. Max. Tr. Pot. III Cos. III N.* (nautæ) *Rhodanici principi indulgentissimo.* Consulatus tertius cadit in annum 872, Trib. Pot. III incipit medio fere mense Aug. anni 872. Statuimus igitur Hadrianum, qui ut diximus anno 871 fere exeunte Romam venerat, post unius fere anni commorationem inde digressum ante exitum anni 872 in Galliam venisse[2]. Vix enim fieri poterat ut nautæ Rhodanici, homines ex infima plebe, Hadriani indulgentiam experti prædicarent, nisi ipse præsens beneficium aliquod petentibus concessisset. Neque hoc abhorret a more Hadriani, qui quocunque venerat, hominum animos liberalitate sua sibi devincire studebat; et confirmatur verbis Spartiani: "*omnes causariis liberalitatibus sublevavit*", quem locum Casaubonus ad analogiam causariæ missionis ita explicat, ut causaria liberalitas sit ea cui aliquis casus et calamitas causa fuerit. Suspicor igitur collegium nautarum Rhodanicorum occasione usos, quod imperatorem flumen transvexissent, beneficium aliquod ab eo impetrasse. Beneficia in Galliam universam collata prædicat numus ap. Eckhel. p. 494 inscriptus: *Restitutori Galliæ*, exhibens imperatorem, qui togatus mulierem humi prolapsam sublevat. Casaubonus ad l. l. Spartiani alios numos habet inscriptos *Conservatori Galliæ*. Adventum Hadriani in Galliam testatur numus ap. Eckhel. p. 494 inscriptus: *Adventus Aug. Galliæ S. C.* Typus aversæ est imperator et mulier ad aram sacra facientes; humi jacet victima.

¹) Observat. Spanh. II p. 620, mirum esse quod, quum nullus imperator plures quam Hadrianus susceperit ex urbe profectiones, nullus tamen exstet ejus numus profectionem ex urbe significans.

²) Addatur inscriptio ap. Murat. p. 1030, 6 et ap. Orell. no. 342: *Imp. Cæs. Trajano Hadriano Aug. P. M. Trib. Pot. Cos. III, P. P. Aventicum.* Aventicum fuit caput Helvetiorum. Trib. Pot. Cos. III explicandum est Trib. Pot. III Cos. III. De literis P. P. postea disputabitur.

Hoc loco non prætermittendus videtur numus valde memorabilis, qui multorum virorum doctorum ingenia torsit. Exstat ap. Eckhel. p. 501. Antica inscripta est: *Imp. Cæs. Hadrianus Aug. Cos. III.* Aversa: *Ann. DCCCLXXIIII Nat. Urb. P. Cir. Con.* Typus est mulier humi sedens d. rotam, s. tres obeliscos seu conos complexa. Alius eadem aversa anticam habet inscriptam: *Imp. Cæs. Trajanus Hadrianus Aug. P. M. Tr. P. Cos. III.* De his numis accuratius disputat Eckhel, quorum summa hæc est, ut cum Bimardo legendum sit: *Anno* 874 *natali urbis primum Circenses constituti.* Censet igitur Hadrianum, cui indignum visum sit, diem universo populo sacerrimum nullis peculiaribus cærimoniis condecorari, decrevisse ut ludi Circenses ejus causa peragerentur. Vaillantius legit: *Anno* 884 *natali urbis populo Circenses concessit*, probatus Spanhemio, II, p. 651, qui hæc insuper addit: "*Ipsius urbis templum ne quid magnitudini ac magnificentiæ urbis æternæ deesset, ab Hadriano conditum anno quo natalem ejusdem celebravit, indicat numus.*" Pagius, citatus ap. Tillemont. p. 520, ex hujus numi epigraphe, quam legit:

Circus conditus, probari vult Hadrianum non ut vulgo statuitur anno 873, vel ut nos statuimus anno 872, sed 874 itinera sua incepisse. Vix autem opus est monere, si vel ejus explicatio admitteretur, tamen facile fieri potuisse ut Circus Hadriano absente conderetur. Major esset difficultas ad sententiam nostram obtinendam, si verum vidisset Spanhemius, ex hoc numo docens templum urbis anno 874 conditum esse. Non enim probabile est Hadrianum absentem hoc templum dedicasse. Sed et majore molimine[3] templum urbis sive Fortunæ ædificatum erat, quam ut opus, quod non verosimile est in ipsis imperii initiis inceptum esse, posset tam brevi tempore absolvi; et plerique Chronicorum scriptores ad tempus serius dedicationem templi retrahunt. Hieronymi Chron. ad annum 884 habet: *Templum Romæ et Veneris in urbe factum.* Eckhel p. 481 et 511 statuit annum 883, citans Euseb. Chron., Cassiodor., Phlegont. in Eusebio Scaligeri. Neque repugnat locus ap. Athenæum, VIII, p. 361, f, ἔτυχεν δὲ οὖσα ἑορτὴ τὰ Παρίλια μὲν πάλαι καλούμενα νῦν δὲ Ῥωμαῖα, τῇ τῆς πόλεως Τύχῃ ναοῦ καθιδρυμένου ὑπὸ τοῦ πάντ' ἀρίστου καὶ μουσικωτάτου βασιλέως Ἀδριανοῦ. Unde nihil aliud potest elici quam dedicationem templi factam esse his feriis, quas XI Cal. Mai. celebrari solitas esse constat, indeque Parilium nomen mutatum; sed quo anno hoc factum sit, non indicatur. Et, quod summam facit, numus ipse ne levissimis quidem vestigiis dedicationem templi indicat, sed et inscriptio, quocunque tandem modo legitur, et typus nihil aliud quam vel ad Circenses spectant vel ad circum conditum. Rotæ typus non eget explicatione, et tres illos conos metas esse probabili conjectura statuitur. Tamen templum illud, quod diximus, re vera numis fuisse expressum docet Eckhel

---

[3]) Spartian. c. 19; Dio Cass. p. 1153.

p. 510, duos Hadriani numos describens, solita antica, quorum prior aversam habet inscriptam: *Veneris felicis*, alter: *Urbs Roma æterna.* Prioris typus est Venus sedens, d. Victoriolam, s. hastam tenens; alterius typus est Roma sedens in templo sex columnarum, d. globum s. hastam tenens. Ap. Zoegam. in numo Antonini Ægyptio cum nota anni ιδ' apparet mulier galeata, seminuda, sellæ insidens, d. Victoriolam s. hastam gerens, quam Zoega suspicatur esse Venerem Victricem, cujus et urbis Romæ commune templum dedicasset Hadrianus. Fuisse illud templum et Romæ sive Fortunæ urbis et Veneri dicatum, patet ex Dione p. 1153: τοῦ τῆς Ἀφροδίτης τῆς τε Ῥώμης ναοῦ, ad quem locum vide quos laudat Reimarus.

Unum adhuc superest argumentum, quo fortasse aliquis Spanhemii sententiam de tempore dedicationis hujus templi defendat. Ap. Murat. enim p. 452 legitur hæc inscriptio, Romæ reperta: "*.... Trajanus Hadrianus ... Trib. Pot. V, Cos. II* (lege III) *ædem Fortunæ vetustate corruptam restituit.*" Trib. Pot. V cadit in annos 874—875; id quod primo adspectu videtur pro sententia Spanhemii facere. Sed hæc inscriptio ad ædem Fortunæ plane aliam et ignobilem pertinet, quam Hadrianus tantummodo restituerat. Illud vero templum, de cujus dedicatione disputamus, de ipsis fundamentis fuisse exstructum docet locus Spartiani laudatus, unde patet, colossum illum nobilissimum, cui Nero olim vultum suum imposuisset, primum de ipso illo loco fuisse translatum ut area templo ponendo pateret. Perspicuum est igitur ex iis, quæ disputavimus, nihil esse quod impediat quo minus Hadrianum ante annum 874 itinera sua suscepisse statuamus.

Prior illa Hadriani in Gallia commoratio non videtur diuturna fuisse. Spartianus post verba illa: "*Omnes causariis liberalitatibus sublevavit*", statim subjungit:

Inde in Germaniam transiit. Huc pertinet numus ap. Eckhel. p. 494 inscriptus *Germania.* Typus est mulier stans d. hastam, s. clypeum Germanicum tenens. Quamdiu inter Germanos commoratus sit, non quidem licet pro certo constituere, attamen e Spartiano c. 10 et 11 probabili conjectura conjicimus annum fere ibi consumptum fuisse. Vix enim fieri potuit, ut breviori tempore tota disciplina militaris ita corrigeretur, ut milites regio more conversi dici possent[4]. Huc pertinet numus ap. Eckhel. p. 494 inscriptus: *Exercitus Germanicus S. C.* Typus est imperator eques milites alloquens[5]. Eodem mihi videntur spectare duo numi ap. Eckhel. p. 503, quos ille de studio Hadriani in Circenses explicat. Numos ipsos accuratius describam. Prioris antica inscripta est: *Imp. Cæsar Hadrianus Aug. Cos. III P. P.* Typus est caput laureatum. Aversa inscripta est: *Decursio.* Typus bini viri citatis equis vecti, d. hastam gerentes præcedente milite. Alterius aversa inscripta est: *S. C.*, cum eodem typo. Mihi videntur hi numi ad decursionem militarem spectare. Disciplinam militarem correctam indicat numus ap. Eckhel. p. 503, inscriptus: *Disciplina Aug.* (in aliis *Discipulina Aug.*). Typus est imperator adducta manu veste præcedens sequentibus pluribus militibus cum signis militaribus. Cfr. Aurel. Vict. Epitom. XIV, 11: "*Officia publica et palatina nec non militiæ in eam formam statuit, quæ paucis per Constantinum immutatis hodie perseverat.*" Ap. Vegetium I, 8 commemorantur Hadriani constitutiones de jure militari, et ap. Vopiscum in Probo c. 4 constitutum D. Hadriani militare. Salmasius in notis ad Spart.

---

4) Cfr. Dion. Cass. p. 1157.

5) De allocutionibus militaribus cfr. Spanh. II p. 627 sqq. Marmor aliquod elegantissimi operis allocutionem imperatoris cujusdam repræsentans dat Caylus, Recueil d'Antiqu. III, p. 216.

l. l. docet Hadrianum scripsisse librum de rebus tacticis; cfr. Reim. ad Dion. p. 1157. Ap. Vaillant., Numism. Imp. Rom. II p. 144, Hadrianus in numo exhibetur sub effigie Martis, quem numum Biagius, Monum. Gr. e Museo Nanii, in fine commentarii ad inscriptionem aræ, quæ exhibetur p. 57, vel ad expeditionem Judaicam vel ad disciplinam militarem correctam spectare statuit.

Germanici cognomen Hadriano tributum fuisse significant duæ inscriptiones Hispanicæ ap. Murat. p. 451, 1 et 2. Priorem descripsi p. 8, alteram hic apponam: "*Imp. Cæsar D. Nervæ Trajani F. Nervæ N. Hadrianus Aug. Dacicus Maximus, Britannicus Maximus, Germanicus Maximus, Pontifex Maximus, Trib. Pot. IIII, Imp. III* (lege II), *Cos. IIII* (lege III) *P. P. a Certima M. P. DX restituit impensa sua.*" Trib. Pot. IV incipit medio mense Aug. anni 873, id quod apprime consentit cum eo tempore quod Hadriani commorationi in Germania adsignavimus. Altera vero inscriptio posita est anno et Trib. Pot. et Consulatus secundo. Vel hinc gravis oritur suspicio, quæ etiam aliis criteriis confirmatur, spuriam esse hanc inscriptionem. Nulla enim apparet probabilis causa, cur Hadrianus hoc cognomen ante adsumpsisse existimetur, quam in Germaniam venerit. Neque vero prior illa inscriptio omni caret suspicione. Sed utut est, illud saltem negari nequit, hanc appellationem ab ingenio Hadriani non fuisse alienam, vanam gloriolam captantis et titulis cognominibusque gaudentis.

Quas Germaniæ partes Hadrianus peragraverit, ejus rei non nisi obscura sunt vestigia. Suspicor tamen non solum regiones Rheno adjacentes, sed etiam meridionales Germaniæ partes, fere Vindobonam usque, ab eo fuisse perlustratas, motus inprimis duobus numis ap. Eckhel. p. 500, qui testantur Hadrianum per Rhætiam et Noricum iter fecisse. Alter, inscriptus *Exercitus Noricus S. C.*, repræsentat imperatorem equitem cohortes

alloquentem. Alter, inscriptus *Exercitus Rhæticus S. C.*, eundem typum habet, nisi quod in nonnullis est imperator stans, in aliis eques. Similes numos habet Tristan I, p. 473. Huic igitur itineri, cujus nulla est apud scriptores mentio, nullum tempus commodius quam hoc adsignari posse videtur. Tristanus quidem p. 557 affert ex Grutero inscriptionem in Pannonia repertam, quæ videtur subscripta fuisse statuæ Hadriani: *Imp. Cos. Trajano Hadriano Aug. P. P. Trib. Pot. XXI Cos. III Imp. II Lucius Ælius Cæs. Fil.* etc., quam eandem habet Orell. no. 814. Quæ quidem inscriptio si præsenti Hadriano posita esset, falsa esset nostra de tempore hujus itineris sententia. Si enim in Pannoniam venit Hadrianus, quod tamen dubitari potest, consentaneum est hoc iter cum itinere in Rhætiam et Noricum conjunctum fuisse. Optime videtur hæc difficultas, si qua est, expediri posse, si statuimus inscriptionem Hadriano absenti esse positam a L. Ælio Vero, qui ut cap. hujus libelli XI docebitur, anno 889 ab Hadriano adoptatus et Pannoniis dux ac rector impositus est. Itaque sententia nostra de tempore itineris per Rhætiam et Noricum suscepti neque hac inscriptione convellitur, neque alia ap. Pocockium p. 107 quæ exstat Vindobonæ in bibliotheca imperatoria, Cillieæ reperta, posita Hadriano Trib. Pot. XVI, sed absenti. Neque vero illud ad sententiam nostram confirmandam nullius est momenti, quod duo illi numi, quos diximus, rem militarem spectant, in qua Hadrianum tunc temporis occupatum fuisse jam commemoravimus. Ad rem militarem, in qua per hæc tempora occupatus erat Hadrianus, respiciunt numi Alexandrini ap. Mionnet. Tom. VI, p. 149 sqq. cum nota anni δ'. In uno Hadrianus repræsentatur chlamydatus, in tribus quadrigis vectus, d. ramum lauri s. hastam tenens; in uno miles stans in templo distylo,

d. pateram s. hastam gerens; in uno arcus triumphalis, superne currus triumphalis, in quo triumphator inter duo tropæa. Atque quatuor numi anni ε' eosdem habent typos. Annus Alexandrinus quintus initium cepit a. d. IV Cal. Sept. anni 873. Atque, ut redeamus ad iter per Rhætiam et Noricum, si quis malit conjicere, Hadrianum ex expeditione Moesiaca in has regiones excurrisse, huic opinioni videtur illud repugnare, quod tunc brevitas temporis, quæ ne ad finem quidem expeditionis eum in Moesia remanere passa est, quum Romam venire festinaret, vix huic excursioni sufficere potuisse videatur. Sed si recte statuimus Hadrianum, quum anno 872 exeunte in Galliam venisset, initio anni 873 in Germaniam se contulisse ibique diutius commoratum esse, facile potuit per temporis rationes in illas regiones iter facere. Regiones Rheno vicinas Hadrianum peragrasse, et cursus ipse itineris docet, quum teste Spartiano c. 11 conversis regio more in Germania militibus Britanniam peteret; et magis fortasse appareret, si libro Tiellandi de Foro Hadriani in vicinia Hagæ apud Batavos mihi licuisset uti[6].

Exeunte anno 873 vel incipiente anno 874 in Britanniam se contulit[7]. De anno consentiunt Tillemont p. 237 et Eckhel. p. 493, qui anno 874 adsignat numos tres ad Hadriani adventum spectantes. Prior inscriptus est *Britannia S. C.* Typus est mulier sedens dextro pede rupibus imposito, s. caput sustentans, d. hastam gerens, cubito in prægrandem clypeum innixa. Tristan I, p. 469 habet numum Hadriani similem, non tamen, si recte descriptus est, eundem. Anticæ nulla fit men-

---

[6]) Recherches sur l'ancien Forum Hadriani et ses vestiges, Amsterdam et Haag, 1827.

[7]) Spartian. c. 12.

tio. Aversa inscripta est: *Pont. Max. Tr. P. Cos. III P. P. S. C.* Typus est mulier sedens, dextro pede in globum imposito, cubito in dextrum genu innixa, manum dextram adversus vultum elevans ad securitatem indicandam, s. hastam tenens, prægrandi clypeo cum umbilico prælongo in sinistrum figuræ latus inclinato. Sub ipsa figura inscribitur *Britannia.* Secundus numus ap. Eckhel. accuratiorem habet inscriptionem: *Adventui Aug. Britanniæ. S. C.*, cum solito typo. Tertius inscriptus est: *Exercitus Britannicus S. C.* Typus est imperator, in aliis stans in suggestu, in aliis eques, milites alloquens. Beneficia in Britanniam collata prædicat numus ap. Tristan. I, p. 469, inscriptus *Restitutori Britanniæ.* De rebus Hadriani per Britanniam gestis nihil constat, nisi quod Spartianus c. 11 refert: "*Britanniam petiit, in qua multa correxit et murum per octoginta millia passuum primus duxit, qui barbaros Romanosque divideret.*" Ad rem militarem spectant numi Alexandrini anni στ′ ap. Mionnet, VI, p. 153 sqq. in quibus repræsentatur vel Victoria vel Hadrianus chlamydatus, vel idem quadrigis vectus, ramum lauri tenens. Murum illum bis commemorat Dio Cass., non tamen ita ut hoc opus ad Hadrianum referat; primum p. 1209: τῶν ἐν τῇ νήσῳ ἐθνῶν ὑπερβεβηκότων τὸ τεῖχος τὸ διορίζον αὐτούς τε καὶ τὰ τῶν Ῥωμαίων στρατόπεδα. Tum p. 1280: τῷ διατειχίσματι, ὃ τὴν νῆσον διχῇ τέμνει. Et priore quidem loco Reimarus τὸ τεῖχος non de Hadriani muro, qui in Anglia fuit, sed de Pii muro cespititio, qui in Scotia fuit, intellectum vult, laudans accuratissimam hac de re disquisitionem Alexandri Gordonis in Itinerario, Lond. 1726. Sed in loco posteriore τὸ διατείχισμα de Hadriani vallo (cespiticium fuit juxta Gordonem) interpretatur, et excerpta quædam dat ex Gordonis libro ad situm et tractum hujus valli accuratius constituendum pertinentia.

Compositis in Britannia rebus in Galliam transgressus est, Alexandrina seditione ob Apin turbatus [8]. Verosimile est, secundum hunc Hadriani in Galliam adventum in medium fere annum 874 cadere. Neque enim res Britannorum ultra dimidium annum cum necessario retinebant; et Spartianus c. 13 observat, neminem principum tantum terrarum tam celeriter peragrasse. Non diffitendum quidem est opus illud muri per 80000 passuum ducendi vix potuisse tam brevi spatio absolvi, si opus fuit lateritium, id quod Spartianus videtur significare. Sed facile fieri potuit, ut hoc opus, præsente Hadriano inchoatum, absente perficeretur. Præterea, si qua fides habenda est A. Gordoni, cujus librum mihi non licuit inspicere, opus illud fuit cespititium, quod breviore tempore poterat absolvi; adeo ut si Gordonem audiamus, concedendum sit Spartianum minus accurate locutum esse. Atque Reimarus ad Dion. l. l. observat hoc opus Hadriani a multis scriptoribus vallum vocari, ab Eutropio, VIII, 10, 11; Victore, Epit. XX, 4; Orosio, VII, 17; Hieronymo in Chron. Euseb.; Herodiano III, 14, 18. Nihilo tamen minus Mannert, Geogr. II, II p. 69 et 114 propter verba Spartiani negat opus illud Hadriani fuisse cespititium, atque reliquias muri lateritii magis ad septentrionem, quas omnes Angli ad murum Severi, qui vallo Hadriani fere parallelus fuit, pertinere statuunt, ad murum Hadriani refert, quum reliquias aggeris et fossæ magis ad meridiem versus sitas Angli ipsi ad opus Hadriani pertinere censeant. Utra sententia verior sit, hoc loco parum refert. Ad confirmandam sententiam nostram de tempore, quo Hadrianus e Britannia digressus sit, argumentum aliud repetitur ex narratione Spartiani, Hadrianum e Britannia in Galliam transgressum, quum in honorem Plotinæ basilicam apud

[8]) Spartian. c. 12.

Nemansum opere mirabili exstruxisset, Hispaniam petiisse atque Tarracone hiemasse, quæ hiematio vulgo ad annum 874—875 apponitur[9]. Jam si priorem dimidiam partem anni 874 commorationi apud Britannos, et posteriorem ejusdem anni partem commorationi in Gallia adsignamus, temporis ratio bene quadrat. Basilicam illam commemorat Dio Cass. p. 1159: οὐ θαυμαστὸν εἰ καὶ τὴν Πλωτίναν ἀποθανοῦσαν ... ἐτίμησεν ὡς καὶ ναὸν αὐτῇ οἰκοδομῆσαι[10]. Casaubonus ad Spartian. l. l. suspicatur, stupendam amphitheatri molem et trigeminum pontem Gardo flumini impositum et multa alia magnifica ædificia et in ipsa urbe Nemansensium et in regione circumjacente, Hadriani opera esse, in memoriam Plotinæ aut Pii, teste Capitolino c. 1 hinc oriundi, exstructa. Quanto honore Hadrianus Plotinam prosecutus sit, observat Tristan I, p. 430, commemorans quatuor inscriptiones ubi occurrunt sacerdotes Divæ Plotinæ. Orell. unam talem habet no. 3744.

Adventum Hadriani in Hispaniam indicant tres numi ap. Eckhel. p. 495. Prior inscriptus est *Hispania*. Typus est mulier sedens juxta rupem, d.ramum, ante pedes cuniculus. Tristan, qui I p. 468 eundem numum describit, ramum olivæ putat esse, observans sessionem mulieris et ramum olivæ pacem diuturnam indicare, qua Hispania sub Hadriano frueretur. Secundus numus ap. Eckhel. inscriptus est *Exercitus Hispanicus S. C.*; tertius *Restitutori Hispaniæ*, uterque cum solitis harum rerum typis. Inscriptio ap. Gruter. p. 155, 11, quæ paucis mutatis invenitur ap. Murator. p. 2008, indicat

9) Tillemont p. 238; Zumpt. Annales.

10) Cfr. de hoc ædificio Spon., Recherches p. 159 sqq. et Scipion. Maffeium, Antiqu. Gall. Select. p. 151, laudatos ap. Reimar. ad h. l.

Hadrianum anno Trib. Pot. V viam aliquam stravisse. Non quidem indicat Gruterus, ubi inventa fit hæc inscriptio, sed tantummodo asservari eam Emeritæ; neque disertis verbis indicatur Hadrianum præsentem hoc opus fecisse; sed quum argumenta supra allata ad hoc tempus commorationi ejus in Hispania adsignandum ducant, nihil potest esse verosimilius, quam hoc opus ab Hadriano præsente fuisse institutum. Similis cippus ap. Gruter. l. l. prope Caparam in Lusitania eandem inscriptionem habet. Neque non huc pertinet inscriptio ap. Murat. p. 233, Antiquariæ in Hispania a M. Acilio Ruga in honorem Hadriani Trib. Pot. VI posita, igitur sub finem commorationis, nisi si quis emendare velit Trib. Pot. V, quod facile concedam in inscriptione quæ etiam alias notas numerales vel corruptas habet vel parum recte descriptas. Sed quamquam ille, qui inscriptionem descripsit, facillime potuit oculorum errore deceptus notam I post V addere, non tamen utique necesse est emendare. Inter opera quæ Hadriano tribuuntur, maxime memorabile illud est, quod Spartiano teste c. 12, ædem Augusti, quæ Tarracone erat, sumptu suo restituit. Tacitus, Ann. I, c. 78 refert Tarraconenses primos fuisse, qui Augusto templa ponerent; atque templum illud hodieque in multis Tarraconensium numis Deo Augusto inscriptis apparere, observant interpretes ad h. l. Neque Hispanos ab eadem adversus Hadrianum adulatione abhorruisse docet numus Hadriani ap. Tristan. I, p. 483 cum templo rupibus imposito, inscriptus: *Col. V. Jul. C.*; id quod Tristan explicat: *Colonia Victrix Julia Calagurris*, vel *Julia Constantia*, statuens hoc templum in ipsius Hadriani honorem esse exstructum.

Mirum est quod refert Dio Cass. p. 1158 Hadrianum patriam suam Italicam Bæticæ urbem, quamvis in propinquo esset, non invisisse, magnis tamen ornasse ho-

noribus multisque et splendidis muneribus auxisse[11]. Spartianus c. 18 nihil aliud habet, quam Hadrianum in patria sua Quinquennalis munere functum esse, verum utrum hoc tempore an alio, non addit. Et quod Spartianus c. 12 refert, Hispanis delectum detrectantibus, Italicis Hadrianum vehementissime, cæteris prudenter et caute consuluisse, id videtur narrationi Dionis plane refragari; neque dubitari potest, quin in his rebus longe accuratior sit Spartianus. Necesse est igitur, animum principis irritabilem una aut alia de causa, quam nos ignoramus, ita fuisse offensum, ut patriam ne invisere quidem dignaretur. Neque hoc semel factum est ut Hadrianus totas urbes odio haberet: de Antiochensibus idem testatur Spartianus c. 14. Sed in reliquos Hispanos eum multa beneficia et nunc et postea contulisse, testantur quum numi, quos nuper descripsi, tum variæ inscriptiones serioris temporis, quas hoc loco apponam: Murat. p. 453: *Imp. Cæsari Trajano Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot. XVIII Cos. III P. P. a Bracara M. P. X*[12]. Huc fortasse retrahenda est inscriptio valde corrupta p. præcedente: *Aug. ..... Max. Trib. Pot. XIIX Cos. III P. P. a Bracara Aug. Isturicæ M. P. CCXV*. Alia ap. eundem p. 2008: *Imp. Cæs. Trajano Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot. XVIII Cos. III P. P. a Braca. Aug. M. P. XX*. Et alia eadem p.: *.... Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot. XIX Cos. III P. P. a Bracara Aug. .... ale M. P. XXXV*. Et eadem p.: *Imp. Cæs. Trajanus Hadrianus Aug. P. M.*

---

[11]) Τὴν πατρίδα καίπερ μεγάλα τιμήσας καὶ πολλὰ καὶ ὑπερήφανα αὐτῇ δοὺς ὅμως οὐκ εἶδε. De majoribus et patria Hadriani cfr. Reimar. ad Dion. l. 69, init.; Tristan. I. p. 451.

[12]) De situ urbis Bracaræ sive Bracaræ Augustæ cfr. Mannert. I, p. 342. Isturica in inscriptione sequente videtur esse Asturica. Aquæ Flaviæ erat nomen urbis in Lusitania.

Trib. Pot. XX refecit Aquis Flavis M. P. II. Denique inscriptio ap. eundem p. 236 in vico Coronili agri Utrariensis in Hispania: ..... *Trajano Hadriano Aug. Pont. Max. Tribunic. Pot. XII* (nomen ejus qui posuit) *optimo principi*. Pleræque harum indicant curam in viis sive muniendis sive reficiendis consumptam. Ea vero, quam ultimo loco posui, gratum provincialium animum in universum prædicat, nullo certo beneficio commemorato. Duæ adhuc restant, sed dubiæ fidei, quarum alteram descripsi p. 8, alteram p. 18. Quod reliquum est, apponam inscriptiones quasdam, unde pateat, Hadrianum ipso hoc tempore beneficia varia in Italiam contulisse. Inscriptio ap. Murat. p. 233, Puteolis, sic desinit: *Trajano Hadriano Aug. Pont. Max. Tr. Pot. V Cos. III optimo maximoque princ. P. decreto Decurionum et populi consensu.* Alia p. 451, Romæ: *Collegium Augurum auctore ... Trajano Hadriano Pont. Max. Trib. Pot. V Cos. III Procos. terminos pomoerii restituendos curavit.* Cippus Romæ effossus ap. Murat. p. 451: *Ex auctoritate ... Hadriani ... Trib. Pot. V ... Lucius Messius Rusticus curator alvei et riparum Tiberis et cloacarum urbis R. R. restituit.* Alia ap. eundem p. 1083: *Trajano Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot. V Cos.* (lege Cos. III) *optimo maximoque principi Decuriones municipesque Surrentini pecunia collata.* Alia ap. Raines. p. 304: *Imperatori Cæsari ... Trajani F. ... Surrentina respublica.* Eadem paucis mutatis ap. Spon. Miscell. p. 197. Alia eadem p. fortasse spuria, Surrenti reperta: *Imp. Cæs. ... Trajano Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot. V optimo maximo princ. Decuriones municipesque statuam nobilitati ejus faciendam curavimus.* Denique ap. Pocock. p. 69 inscriptio Surrentina: *Imp. Cæs. Divi Trajani Parthici Fil. Divi Nervæ Nep. Trajano Hadriano Augusto Pont. Max. Trib. Pot. V.*

Quorsum se ex Hispania verterit, incertum esse statuit Eckhel. p. 480. Nobis vero valde arridet conjectura Tillemontii, qui suspicatur eum, quum Tarracone hiemasset, verno tempore anni 875 in Mauretaniam esse transgressum. Ut Hadrianum re vera in Mauretania fuisse doceat, laudat Occonis Numism. (Aug. Vindel. 1601), quem librum ego inspicere supersedi, quum et inter omnes constet, quam exigua fides Occoni sit habenda, et res ipsa ex quatuor numis ap. Eckhel. p. 498 satis pateat. Primus inscriptus est *Mauretania S. C.* Typus est Maurus stans, d. hastam, s. equum freno retinens. Alius ibidem inscriptus est: *Adventui Aug. Mauretaniæ S. C.* Typus: Ara, hinc imperator stans, inde Mauretania, d. pateram, s. vexillum; ante pedes victima. Tristan, qui p. 472 eundem vel similem numum describit, addit caput humanum ante pedes imperatoris. Quod quale sit, parum perspicio. Tertius ap. Eckhel. inscriptus est: *Exercitus Mauretanicus, S. C.* Typus repræsentat imperatorem equitem, milites alloquentem. Quartus denique ap. eundem inscriptus est: *Restitutori Mauretaniæ S. C.*, cum solito typo. Verum hi numi tempus adventus non definiunt. Quod Spartianus c. 12 refert, eum motus Maurorum compressisse et a Senatu supplicationes emeruisse, id quidem potuit per Legatos facere, et re vera fecit, ut auctor est Spartianus c. 5. Sed tamen quum in Mauretania eum fuisse doceant numi, nullum tempus videtur rectius huic commorationi adsignari posse, quam hoc, quo et prope adesset, et prudentia civilis præsentiam ejus ad animos, repressos quidem sed tamen exasperatos, beneficiis mitigandos necessariam facere videretur. Non tamen negabo fieri potuisse, ut seriore tempore in Mauretaniam venerit; illud saltem ex Spartiano c. 13 constat, Hadrianum post septem fere annos, anno 882 Roma in Africam profectum esse ac multa beneficia in provincias Africanas

contulisse, qua de re postea cap. 4to hujus libelli disputabitur. Si quis igitur malit cum hoc Africano itinere profectionem in Mauretaniam conjungere, non multum repugnabo; attamen sententia, quam prius proposui, majore probabilitate se videtur commendare [13].

Caput III.

Si igitur statuimus Hadrianum anno 875 [1] verno tempore in Mauretaniam esse profectum ibique fere dimidium annum mansisse, exoritur quæstio, quo hinc se verterit. Tillemont p. 240 suspicatur, Hadrianum ad motus Parthorum comprimendos anno 876 in Orientem esse profectum, et sequenti anno per varias Asiæ provincias in Græciam rediisse. Spartianus postquam motus Maurorum ab Hadriano compressos commemoravit, continua serie subjicit: *"Bellum Parthorum per idem tempus in*

---

[13]) Tumultus Mauretanici historiam h. l. breviter enarrabimus, præeunte inprimis Eckhelio. Lusius Quietus, patria Maurus, cujus egregia opera in utroque bello Dacico et postea in Parthico usa erat res publica, a Trajano primum Prætura tum Consulatu ornatus, deinde provinciæ Palæstinæ præpositus Judæos rebelles Trajano imperante ad obsequium redegerat (Dio Cass. p. 1146). Ab Hadriano ad regendos Mauros translatus, orto ab his tumultu, cujus ipse ut imperium in se transferret, auctor est creditus, imperatoris jussu exarmatus est, misso ad sedandos Mauros Marcio Turbone; denique in itinere jussu sive Senatus sive Hadriani occisus. Spart. c. 5 et 7.

[1]) Ex inscriptione ap. Murat. p. 451 patet Hadrianum etiam hoc tempore Italiæ curam non seposuisse. Indicat ea Hadrianum Trib. Pot VI viam Suessanis municipibus sua pecunia muniisse.

motu fuit, idque Hadriani colloquio repressum est". Hinc probabile est Hadrianum, si non in Parthiam ipsam, at saltem in regiones vicinas hoc tempore profectum esse; vix enim Parthi rebellantes ad eum in longinqua regione commorantem Legatos misissent. Romam eum non rediisse e Mauretania, vel e Spartiani silentio jure concluditur; neque ulla adsunt vel apud scriptores vel in aliis monumentis indicia, unde profectionem in aliam quamcunque provinciam ulla probabilitate demonstrare liceat. Accedit numorum auctoritas, in quibus non quidem diserte adventus Hadriani in Parthiam vel regiones adjacentes commemoratur, sed tamen magna probabilitate inde concluditur, nisi forte statuendum est, numos qui allocutiones militares repræsentent, nihil aliud significare, quam Exercitum Romanum in illis regionibus excubuisse. Eckhel. p. 500 exhibet numum inscriptum: *Exercitus Parthicus.* Typus repræsentat imperatorem in suggestu stantem et milites alloquentem. Ad quæ Eckhel.: "Hoc numo, inquit, probatur, Hadrianum etsi Parthica abjecit, aluisse tamen exercitum, qui Parthiæ invigilaret, et quem dubium non est circa Euphratem excubuisse." At quum vulgo ex talibus nümis imperatoris præsentia concludatur, cur non etiam hoc loco? Ad motus Maurorum et bellum Parthicum repressum spectare videntur duo numi Alexandrini anni ζ' ap. Mionnet. VI, p. 156, quorum alter exhibet Victoriam, alter imperatorem quadrigis vectum.

"*Post hoc*, pergit Spartianus cap. 13 init., *per Asiam et insulas ad Achaiam navigavit, et Eleusinia sacra exemplo Herculis Philippique suscepit; multa in Athenienses contulit et pro agonotheta resedit.*" Hoc iter per Asiam susceptum Tillemontius p. 240, cui assentitur Eckhel. p. 481, apponit ad annum 877, laudans numismata Birogi p. 176—177, et Arrian. Peripl. Ponti init., unde apparet eum venisse Trapezuntem, sed incer-

tum quo anno, atque Byzantii regiones visitasse. Templa et ædificia, quæ Hadrianus secundum Chron. Paschale sive Alexandrinum p. 475 ed. Bonn. anno 876 exstruxit Nicomediæ, Nicææ, Cyzici, et in multis aliis urbibus, Tillemontius mavult ad annum 876 referri. De itineris tempore vix dubitari potest, quin Tillemont. et Eckhel. ad veritatem prope accesserint, ita tamen ut potius statuatur annus 876, quum propter auctoritatem Chronici Paschalis, tum propter inscriptionem Lytti, urbis Cretæ, ap. Boeckh. II, p. 427: Αὐτοκράτορα Καίσαρα ...... Τραιανὸν Ἀδριανὸν Σεβαστὸν Ἀρχιερέα μέγιστον δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ στ', ὕπατον τὸ γ' Λυττίων ἡ πόλις διὰ Πρωτοκόσμου Τίτου Κουρνίου Διοτελοῦς υἱοῦ. Verosimile est hoc marmor positum fuisse in honorem Hadriani, quum Cretæ commoraretur. Trib. Pot. VI cadit in annos 875—876. Quod igitur Tillemont, ut supra diximus, statuit Hadrianum anno 876 in Orientem profectum esse, id potius sub finem anni 875 factum esse videtur, ut posset inde redux media fere æstate anni 876 inter Cretenses commorari. Probabile est res Cretensium Hadrianum in Græciam pervenire festinantem aliquamdiu tamen retinuisse. Num huc pertineant quatuor numi Hadriani ap. Mionnet. II, p. 260 et septem ap. Eckhel. in Catal. Mus. Cæs. I p. 124, inscripti κοινὸν Κρητῶν, affirmare non audeo. Cæterum memorabile est præter inscriptionem illam urbis Lytti nullas alias in honorem Hadriani in insulis inventas esse, si unam exceperis Mitylenis inventam, ap. Murat. p. 236 et ap. Boeckh. II p. 192: Αὐτοκράτορι Τραιανῷ Ἀδριανῷ Καίσαρι Σεβαστῷ Ἐλευθερίῳ Ὀλυμπίῳ κτίστῃ Διΐ χαριστήριον [2]. His addenda

[2]) De hac inscriptione cfr. Plehn Lesbiac. p. 83. De titulo Jovis Olympii Hadriano tributo disputabitur c. 7 hujus libelli. Mirum est quod Murat. miratur "ingentem adulationem si re vera Jovis nomen ei fuit inditum."

inscriptio Thasiorum Athenis posita, ap. Boeckh. I, p. 414: Αὐτοκράτορα Ἀδριανὸν Σεβαστὸν Ὀλύμπιον Θάσιοι διὰ πρεσβευτοῦ καὶ τεχνείτου Ξενοφάντου τοῦ · Χάρητος ἐπὶ ἱερέως Κλ. Ἀττικοῦ. Sed quum cognomen Olympii anno demum 883 Hadriano inditum sit, hæ inscriptiones ad serius tempus pertinent.

Omnes fere Asiæ provincias ab Hadriano peragratas esse docent numi et alia testimonia postea afferenda; utrum tamen hoc jam nunc an secunda profectione per Asiam post dedicatum Olympieum factum sit, affirmari nequit. Verum de templis jam per hanc profectionem exstructis erravit Tillemont., nimium tribuens verbo Chronici Paschalis parum accurato: ἐποίησεν, quod ille de perfectis et absolutis operibus intellexit, quum de inchoatis potius deberet. Non animadvertit Spartianum eodem c. post secundum demum iter in Græciam et post dedicationem templi Jovis Olympii anno 883 factam secundum Hadriani iter per Asiam statuere, quo tempore *"templa sui nominis consecravit"*. Vix igitur dubitari potest, quin Spartianus verbis ex initio c. 13 laudatis nihil aliud dicere voluerit, quam imperatorem ex Oriente, cujus res non poterant eum diu retinere, recto itinere per Asiam Achaiam petiisse, neque in Asia et insulis diu commoratum esse. Neque dubitamus, quin argumentum hujus sententiæ possit ex marmorum et numorum silentio deduci, in quibus profectio per insulas vix fere commemoretur. Nam præter ea, quæ supra attuli, non nisi unum numum inveni, qui huc pertinere videatur. Urbs Eresus Lesbi ap. Mionnet. III, p. 37 habet numum βουστροφηδὸν inscriptum: Αὐτ. Και. Τρα. Ἀδριανόν, cum protome Hadriani laureata. Aversa inscripta est: Ἐρεσί. cum protome Palladis. Utrum adulatio conjungendo protomas Hadriani et Palladis sapientiam imperatoris voluerit indicare, an hoc fortuito factum sit, nunc non audeo dijudicare. Inscriptio insulæ

Cei ap. Murat. p. 2050 huc pertineret, si constaret Sabinam hujus itineris non minus quam Ægyptiaci comitem marito fuisse adjunctam. Apponam tamen: Ἰουλιητῶν δῆμος Σαβεῖναν Αὐτοκράτορος Ἀδριανοῦ Καίσαρος γυναῖκα. Sed innumerabilia illa monumenta, quæ profectionem per Asiam et honores imperatori habitos et beneficia in urbes Asiæ collata testantur, ad secundam profectionem pertinent omnia, exceptis tamen numis, quos verosimile est, jam in memoriam primi adventus, quo templa et alia opera exstruenda designavit, esse cusos. Hos tamen, ne divellatur disputatio, potius eo loco apponendos curabimus ubi de secunda profectione per Asiam sermo erit.

Sed hoc loco exoritur quæstio, utrum Hadrianus jam ante iter in Orientem susceptum inter Athenienses commoratus sit. Tillemontius p. 239 suspicatur Hadrianum e Mauretania anno 875 per Athenas iter Orientem versus instituisse, ita tamen ut adhuc initio anni sequentis, quod idem statuit Eckhel. p. 481, Athenis commoraretur. Auctorem affert Eusebium et Hieronymum in Chron., qui aiunt eum hoc anno Atheniensibus dedisse leges Draconis et Solonis legibus nixas, et per Cephissum pontem fecisse cum aggeribus ad impediendas inundationes. Hieronymi verba in Chron. I, p. 45 de Hadriano hæc sunt: "Atheniensibus leges petentibus ex Draconis et Solonis reliquorumque libris jura componit. Cephissum fluvium, qui Eleusinam inundavit, ponte conjungens Athenis hiemem exegit et sacris Eleusinæ initiatus Atheniensibus multa dona largitur; et quum Athenis insignes et plurimas ædes fecisset, agonem edidit, bibliothecamque miri operis exstruxit. Huic Quadratus discipulus Apostolorum et Aristides Atheniensis noster philosophus libros pro Christiana religione dedere compositos. Et Serenus Grannius vir apprime nobilis literas ad eum misit, iniquum esse dicens clamoribus vulgi

innocentium hominum sanguinem concedi, et sine ullo crimine nominis tantum et sectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minutio Fundano Proconsuli Asiæ scribit, non sine objectu criminum Christianos condemnandos." Non unius sed plurium annorum res h. l. enarrari patebit ex iis quæ postea disputabimus. De legibus datis Dio Cass. p. 1164: Ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλα τε πολλὰ καὶ ἵνα μηδεὶς βουλευτὴς μήτ᾽ αὐτὸς μήτε δι᾽ ἑτέρου τέλος τι μισθῶται. Jacobus Gothofredus citatus ap. Reimar. ad h. l. interdictum hoc de non conducendis a Senatore vectigalibus ad Romanos restringit; falso ut nobis quidem videtur, verba Dionis spectantibus, qui locum illum de legibus ab Hadriano promulgatis cum beneficiis ejus in Athenienses collatis conjungit, deinde subjiciens: εἰς δὲ τὴν Ῥώμην ἐλθών. Ad Hadrianum legislatorem pertinet inscriptio ap. Boeckh. I, p. 566, qua Hadrianidæ, tribus Megarensis Doricis tribubus addita, Hadrianum ut suum legislatorem prædicant: Ἀδριανὸν Σεβαστὸν, Ὀλύμπιον, Πύθιον, Πανελλήνιον [3], τὸν ἑαυτῶν κτίστην καὶ νομοθέτην καὶ τροφέα [4].

Sed videndum num ex loco illo Hieronymi doceri possit, Hadrianum hiemem inter annos 875 et 876 ante

[3]) Eundem Panhellenii titulum Hadriano tribuit inscriptio Tripolizzæ prope veterem Tegeam reperta, ap. Boeckh. I, p. 704: Τραϊανῷ Ἀδριανῷ Πανελληνίῳ ..... τὸ βαλανεῖον καὶ τὴν στοὰν κατεσκεύασαν.

[4]) De Hadriano legislatore cfr. Fabric. Bibl. Gr. XII, p. 341; Renat. Botteravium (Hadrianus legislator, Pictavii 1661); Schröderi Dissert. de jure novo Hadrianeo, Jenæ 1726. De edicto perpetuo cfr. Hofmann Hist. jur. Rom. p. 434. Eusebius in Chron. testatur Salvium Julian. anno 885 edictum perpetuum edidisse. Hunc inscriptio ap. Murat. p 338 a Mediolanensibus posita, humani divinique juris peritissimum, edicti perpetui ordinatorem prædicat. De Salvio Juliano cfr. Casaub. in not. ad Spartiani Didium Julian. init. Decretum Hadriani de oleario commercio apud Athenienses vide ap. Boeckh. I, p. 424 sqq.

profectionem in Parthiam Athenis exegisse. Nos diximus initio hujus c., Hadrianum, quum verno tempore anni 875 in Mauretaniam profectus esset ibique fere dimidium annum commoratus, inde se vel in Parthiam vel in regiones adjacentes contulisse. Non improbabile esse, eum hoc iter per Achaiam et Athenas instituisse, non negamus; sed nihil commemorat Spartianus, qui tum demum eum per Asiam et insulas ad Achaiam navigasse refert, quum bellum Parthorum gliscens colloquio suo repressisset. Et navigationem per insulas ad mediam æstatem anni 876 retulimus propter inscriptionem Cretensem urbis Lytti. Quod si igitur ad Parthiam proficiscens Athenas venit, non potuit ultra paucos dies ibi commorari. Neque repugnat Hieronymi Chron. l. II, p. 166, qui leges Atheniensibus datas ad annum 876 refert, quod idem Græcus textus facit p. 211. Hoc enim tempore jam redierat ex Oriente, et nunc demum hiemem inter annos 876—877 Athenis exegit; id quod confirmat Hieronymus, qui ad annum 877 hæc habet: "*Cephisus fluvius Eleusina inundavit, quem Hadrianus ponte conjungens Athenis hiemem exegit.*" Græcus textus hoc anno additamentum habet: Ἀδριανὸς ἐχείμασεν εἰς Ἀθήνας μυηθεὶς τὰ μυστήρια (sic in libro posteriore; in priore μυηθεὶς τὰ Ἐλευσίνια), καὶ γεφυρώσας [5] Ἐλευσῖνα κατακλυσθεῖσαν ὑπὸ Κηφισοῦ ποταμοῦ. Huc accedit Spartiani auctoritas, qui c. 13 initiationem mysteriorum ad id tempus refert, quo Hadrianus jam ex Oriente redierat. Si cui fortasse inde oritur dubitatio, quod Hadrianus jam anno 876

[5]) De vocabulo γεφυρῶσαι cfr. Reiske, Animadv. in Gr. auctores, vol. III. De ponte Hadriani per Cephisum facto cfr. Syncelli Chron. p. 659, Bonn.; Dodwell, classical tour through Greece, I, p. 585. Idem p. 381 narrat, pontem Hadriani per Ilissum (Cephisum videtur dicere voluisse) anno 1780, quum nova Athenarum mœnia ad propulsandos Arnautas opere tumultuario exstruerentur, saxorum causa destructum esse.

leges Atheniensibus dedit, quo tempore juxta nostram sententiam ex Oriente nuper redierat, facile tollitur hæc difficultas. Quamquam enim his legibus conficiendis longius temporis spatium necessarium erat, tamen, si statuitur Athenienses antea vel per literas, vel, si Hadrianus per Athenas in Orientem profectus est, præsentes hoc beneficium ab eo expetiisse, nullum inde potest argumentum repeti, unde diuturnior Hadriani apud Athenienses, antequam Orientem peteret, commoratio probabiliter demonstretur. Verosimile est enim imperatorem in ipso Parthico itinere leges confecisse et confectas secum attulisse. Ad initiationem mysteriorum pertinet inscriptio ap. Boeckh. I, p. 457, Eleusine reperta:

Μήτηρ Μαρκιανοῦ, θυγάτηρ Δημητρίου εἰμί.
  Οὔνομα σιγάσθω· τοῦτ' ἀποκληζομένη,
Εὖτέ με Κεκροπίδαι Δηοῖ θέσαν ἱερόφαντιν,
  Αὐτὴ ἀμαιμακέτοις ἐγκατέκρυψα βυθοῖς.
Οὐκ ἐμύησα δ' ἐγὼ Λακεδαιμονίης τέκνα Λήδης,
  Οὐδὲ τὸν εὑράμενον παυσινόσους ἀκέσεις,
Οὐδὲ τὸν Εὐρυσθῆϊ δυώδεκα πάντας ἀέθλους
  Ἐξανύσαντα μόγῳ καρτερὸν Ἡρακλέα,
Τὸν χθονὸς εὐρυχόρου δὲ καὶ ἀτρυγέτης μεδέοντα,
  Τὸν καὶ ἀπειρεσίων κοίρανον ἡμερίων,
Ἄσπετον ὃς πάσαις πλοῦτον κατέχευε πόλεσσιν,
  Ἀδριανὸν, κλεινῆς δ' ἔξοχα Κεκροπίης.

Ad initiationem et pontem per Cephisum Scaliger in not. ad Hieron. Chron. p. 211 retrahit numum Hadriani cum templo ubi Hercules cum clava et fluvius, propterea quod Hercules Eleusiniis, ad quæ templum spectare censet, initiatus sit, et Hadrianus ipse Hercules vocatus. Quod Hadriano Herculis nomen tribuit, id omnino vere. Eckhel. p. 504 habet numum Hadriani inscriptum *Herc. Gadit.* Typus est Hercules innixus clavæ, s. tria mala, hinc vir humi decumbens, illinc dimidia

navis[6]. Herculem Gaditanum in hoc numo repræsentari censet Eckhel., quum quod urbs Gaditana Italicæ Hadriani patriæ vicina esset, tum quod Hadrianus provincias omnes obeundo et beneficiis adficiendo Herculis nomen et honores quodammodo emeruisset. Navem ad rem Gaditanorum maritimam spectare censet, et virum decumbentem Oceanum esse arbitratur. An potius respicitur ad Hadrianum *Restitutorem?* Cfr. quæ Boettiger, Amalthea III, p. 175 de abbreviationibus typorum artis disputat. Ad Hadrianum Herculem Eckhel. retrahit numos inscriptos *Cos. III*, vel *P. M. Tr. P. Cos. III*, quorum typus est Hercules nudus armis insidens, d. clavam, s. fulmen. Neque non huc pertinet numus ap. Eckhel. p. 506, ubi monetarius fabulam de Hercule Prodicio ad Hadrianum retulit. Casaub. ad Spart. c. 13 commemorat numum inscriptum: Αὐτ. Κ. Ἀδριανὸς Σεβαστὸς Ἡρακλῆς Ῥωμαῖος; et numi Hadriani ap. Occon. p. 239, si genuini sunt, inscribuntur: τῷ Ἡρακλεῖ σωτῆρι Αὐγ. Verum ut ex his numis satis patet Herculis cognomen Hadriano esse tributum, ita ad initiationem non videntur spectare.

Ex iis quæ disputavimus sequi videtur, nulla exstare documenta, unde pro sententia Tillemontii aliquid præsidii possit derivari, sed commorationem illam apud Athenienses, quam ut primam commemorat Spartianus, re vera primam fuisse. Satis diu eum tunc Athenis remansisse, probabili conjectura elicitur e verbis Spartiani, qui refert eum ex Achaia in Siciliam navigasse, quo non venit ante annum 879 ut initio cap. sequentis docebitur. Neque fieri poterat, quin Hadrianus, ὁ μουσικώτατος βασιλεύς[7], hanc urbem ita adamaret, ut ibi quasi sedem figeret. Victor, Epit. XIV, 2:

---

6) Cfr. de hoc numo Tristan. I, p. 486-496.

7) Athenæus l. VIII, p. 361.

"Atheniensium studia moresque hausit, non sermone tantum sed et cæteris disciplinis, canendi, psallendi, medendique scientia, musicus, geometra, pictor fictorque ex ære vel marmore proxime Polycletos et Euphranoras." Huc pertinet numus ap. Spon. Miscell. p. 140, cujus antica repræsentat caput Hadriani, aversa caput Euclidis. Ad peritiam musices referendus est numus ap. Tristan. I, p. 484 cum lyræ typo, inscriptus: *Cos. III. S. C.* Ap. Haymium, Tesoro Britannico, II, tav. 8 repræsentatur Hadrianus in numis maximi moduli eo habitu qui philosophis et Consulibus et legum peritis tribui solet, stans togatus, d. volumen gerens, qualem retulisse signum Hadriani Corcyrense suspicatur Paciandius, Monum. Pelopp. II, p. 91. Inscriptio ad hoc signum pertinens ap. eundem p. 77 sic incipit: Ἀδριανοῦ βουλαίου (intellige ἀνδριάς vel ἄγαλμα). Αὐτοκράτορα κ. τ. λ. ἡ πόλις τῶν Ἀβεατῶν κατὰ τῶν Ἀχαιῶν δόγμα ἀνέθηκε κ. τ. λ.[8] Rejecta emendatione Montfauconii, βουμίου pro βουλαίου suadentis, Paciandius statuit Consiliarium vocari Hadrianum, quod vel Senatui Romano vel Magistratui alicui provinciali, cujus suffragio probari deberent beneficia in varias urbes collata, auctor esset, ut quod Abeatis apud semetipsum constituisset concedere, ille concordi consensu roboraret. Nobis videtur nihil aliud quam prudentia Hadriani significari, id quod etiam Boeckhio, I, p. 644 placet. — Ad docendum Hadrianum diu apud Athenienses commoratum esse, etiam ex multitudine rerum gestarum argumentum poterat repeti, si

[8]) Posita est hæc inscriptio judice Paciandio vel anno 879 vel 883, quod unde sumpserit nescio, nam in ipsa inscriptione nulla alia nota temporis exstat quam ὕπατον τὸ γ'. Abeatas in Messenia habitasse constat; atque verum vidit Boeckh. Paciandium reprehendens, qui hanc inscriptionem Corcyræ positam esse arbitretur. Abis enim posita est. Cæterum Murat. p. 1019 pro βουλαίου legit Βρομίου, i. e. Bacchi.

modo satis constaret de singulis, ad utram commorationem essent referendæ. Sed quum pleraque monumenta, quæ Hadriani instituta et beneficia in Athenienses aliasque Græciæ gentes collata commemorant, vel tempus non definiant vel manifesto ad seriorem commorationem pertineant, malumus hoc argumentum in medio relinquere, quamquam Spartianus testatur, eum jam tum, quum primum Athenas venisset, multa in Athenienses contulisse. Sed ne disputatio divellatur, totum hunc locum differendum censemus. De excursione per hæc tempora in Thessaliam, Epirum, Illyricum, Macedoniam et Thraciam suscepta capite IX disputabimus.

Numos Atticos non exstare Hadriani adventum significantes satis constat. Sed adventum in Achaiam indicat numus ap. Eckhel. p. 487, antica solita, in cujus aversa, inscripta *Restitutori Achaiæ*, apparet imperator stans togatus, mulierem genu flectentem sublevans; in medio urna, prominente palmæ ramo; id quod ludorum est symbolum, veluti in numo Eleorum ap. Eckhel. in Catal. Mus. Cæs. I, p. 118 cum capite et nomine Hadriani, in cujus aversa exprimitur vir nudus, sedens, d. coronam, s. arundinem; ante pedes urna cum palmæ ramo. Tristan I, p. 468 non palmæ sed apii ramum in priore numo prominere ait, laudans Plin. H. N., 19, 46, qui refert hunc honorem apio in Achaia habitum esse, ut coronaret victores sacri certaminis Nemeæ. Decursionem equestrem, in Nemeis et Isthmiis ludis intermissam, Argivis ab Hadriano fuisse restitutam auctor est Pausan. VI, p. 184. Huc pertinet numus ap. Eckhel. in numis Argolidis p. 288: Antica inscripta est Ἀδριανὸς κτίστης cum capite Hadriani; aversa: Ἀργείων in ambitu coronæ, intra quam Νέμεια. Non ad Nemeam tantummodo sed etiam ad ipsum Argos Nemeos ludos fuisse celebratos apparet ex Pausan. II, p. 267. Spartiani locum, unde patet Hadrianum, quum primum in Achaiam venisset,

Eleusinia sacra suscepisse et pro Agonotheta apud Athenienses resedisse, jam laudavimus. Quod idem c. 19 refert Hadrianum in omnibus pæne urbibus ludos edidisse, et Athenis mille ferarum venationem in stadio exhibuisse, id utrum ad hanc an ad seriorem commorationem pertineat, non liquet. Dio Cass. p. 1164 commemorat ludos illos seriores; commemorata enim dedicatione Olympiei continua serie subjungit: τά τε Διονύσια τὴν μεγίστην παρ᾽ αὐτοῖς ἀρχὴν ἄρξας ἐν τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπιχωρίῳ λαμπρῶς ἐπετέλεσε. Quo loco Reimarus docet, verba illa τὴν μεγίστην ἀρχὴν ἄρξας ita explicanda esse, ut dicatur Hadrianus eo tempore munere Archontis Eponymi secunda vice fungi, quod munus jam ante imperium susceptum, Trajano sextum Consule sive anno 865 apud Athenienses gesserat[9]. De secunda illa celebratione ludorum explicandus esse videtur locus Hieronymi p. 31 descriptus. Eosdem commemorat Eusebius, qui in Græco textu ad annum 885 habet: Ἀδριανὸς παραχειμάζων ἐν Ἀθήναις τὰ Ἐλευσίνια ἐποπτεύει, quo loco liber prior minus accurate: μυεῖται τὰ Ἐλευσίνια, addens: ἔνθα, quod referendum est ad vocem Ἀθήναις proxime præcedentem, καὶ ἦξεν ἀγῶνα ἐπισκευάσας πολλὰ τῷ τόπῳ καὶ βιβλιοθήκας συστησάμενος. Ex quo loco etiam illud discimus, Hadrianum quum priore adventu minores mysteriorum gradus suscepisset, posteriore ad summum gradum fuisse admissum. Dio Cassius p. 1159 nihil aliud habet, quam: ἀφικόμενος ἐς τὴν Ἑλλάδα ἐπώπτευσε τὰ μυστήρια; atque Scaliger ad Eusebium p. 214 et Salmasius ad Spartianum p. 32 contendunt, simul semelque Hadrianum primo jam adventu ἐπόπτην factum esse. Repugnat tamen Spartiani, Eusebii, Hieronymi auctoritas, ex quibus inter se collatis patet, Hadrianum anno 877 Eleusinia sacra minora suscepisse et postea majoribus

9) Consentit Corsini, Fasti Attici II. p. 105 sqq.

Eleusiniis mysteriis initiatum esse, quæ olim credebant quarto quoque anno, secundo Olympiadum, celebrata esse[10]. Sed docuit Creuzer, Mythol. u. Symbol. IV, p. 493, et minora et majora mysteria Eleusinia quotannis fuisse celebrata, minora mense Anthesterione sive Februario, majora Boëdromione sive Septembri. Cæterum si quis mavult secundum Latinum Hieronymi textum priorem initiationem potius ad annum 879, quam secundum Græcum textum ad annum 877 referre, non multum repugnabo, si quidem Hadrianus sub finem demum anni 879 vel initio anni 880 e Græcia discessit. Observandum tamen est, in verbis illis quæ Latinus textus ad annum 879 habet: "*Hadrianus sacris Eleusinæ initiatus multa Atheniensibus dona largitur*", non utique necesse esse notationem temporis nisi ad ultima verba retrahere, qua interpretatione admissa omnis dissensus inter Latinum et Græcum textum dissolvitur. Non tamen desunt argumenta, quibus probari posse videatur et minorum et majorum mysteriorum initiationem Hadriano jam tunc contigisse, quum primum apud Athenienses commoraretur. Plutarchus in Vita Demetrii c. 26 narrat, Demetrium voluisse statim totam initiationem ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν suscipere; hoc autem nefas esse, neque umquam antea contigisse cuiquam, sed necesse esse ut unus saltem annus intercedat; nihilo tamen minus impetrasse Demetrium ut uno eodemque

10) Corsini Fasti Attici II, p. 110 duas initiationes distingui debere contendit, ita ut primus Hadriani adventus Athenas simulque prima mysteriorum visio anno 877 contigerit; alter vero adventus et altera initiatio sive revisio mysteriorum in annum 885 inciderit. Qui si vel verum vidit, quum secundam initiationem ad secundum adventum referret, tamen de tempore erravit, nimium tribuens auctoritati Eusebii. Docebitur enim cap. V, secundam Hadriani commorationem apud Athenienses, quæ brevissima fuit, in annum 883 incidere.

mense omnes mysteriorum gradus susciperet. Jam non verosimile est Athenienses, quod concessissent Demetrio, Hadriano petenti negaturos fuisse; præsertim quum possent Hadriani voluntati ita satisfacere ut nullum piaculum admitterent. Hadrianus enim ultra annum apud eos commoratus est. Creuzer quidem IV, p. 524 probat Scaligerum et Valckenarium, quinque annos inter initiationem minorum et majorum Eleusiniorum intercedere debere statuentes; id quod miror, quum locum illum Plutarchi laudet, qui unum annum sufficere refert. Petavius, l. ap. Creuzer. hunc locum Plutarchi ita explicat, ut statuat eum qui mense Februario minoribus initiatus esset, potuisse mense Septembri ejusdem anni ἐπόπτην fieri. Qui si verum vidit, statuendum est Hadrianum primo vere anni vel 877 vel 879 minora Eleusinia sacra suscepisse, et Septembri mense ejusdem anni ἐπόπτην esse factum; atque erravit Eusebius qui epopticum gradum Hadriano concessum ad annum 885 retulit. Aliquod momentum sententiæ nostræ addit locus Aurelii Victoris XIV, 3, qui refert Hadrianum Romam reversum initia Cereris et Liberæ Atheniensium modo Romæ percoluisse; id quod sub finem capitis sequentis docebimus anno 880 factum esse. Non enim verosimile est, Hadrianum, si modo minoribus Eleusiniis initiatus fuisset, potuisse hæc mysteria Romæ instituere; necessarium erat ut epopticum gradum suscepisset, si quis his sacris præesse vellet.

Caput IV.

Dilata omni ulteriore de rebus ab Hadriano per Græciam gestis disquisitione, quærimus, quo hinc se verterit.

Ducem se nobis præbet Spartianus, qui commemorata priore in Græciam profectione subjicit: *"Post in Siciliam navigavit, in qua Ætnam montem conscendit, ut solis ortum videret, arcus specie ut dicitur varium. Inde Romam venit atque ex ea in Africam transiit."* Totus orationis color festinantis est; et ipse statim addit, neminem fere principum tantum terrarum tam celeriter peragrasse. Hæc observatio ipso hoc loco posita haud dubie indicat, Hadrianum ipso hoc tempore insolita festinatione usum esse. Jam igitur, quum verosimile sit Hadrianum anno 880 Romæ fuisse, statuendum erit eum vel sub finem anni 879 vel initio anni 880 ex Achaia in Siciliam se contulisse, indeque Romam redisse. Et si initiatio mysteriorum Eleusiniorum re vera ad annum 879 referenda sit, quod tamen dubium esse potest, probabilius est Hadrianum ad initium veris anni 880 in Achaia remansisse, quum serius celebrarentur mysteria majora, quam ut tuto posset mari se credere. Adventum Hadriani in Siciliam duo numi indicant ap. Eckhel. p. 500, alter inscriptus: *Adventui Aug. Siciliæ S. C.*, alter: *Restitutori Siciliæ*, uterque cum solitis typis[1]. Sed quum neque scriptores neque alia monumenta quidquam de beneficiis in Siculos collatis commemorent, jure nobis videmur statuere, nomen Restitutoris Siciliæ Hadriano modo per adulationem datum esse, eumque inde post brevem commorationem Ro-

[1]) Tertius, sed quem spurium censet Eckhel., eodem loco affertur, cujus aversa, inscripta *Sicilia S. C.*, exhibet caput adversum juvenile passis crinibus sine collo; infra monstrum marinum. Hoc caput, teste Eckhel., Vaillantius putat Medusæ esse, Havercampius Solis, quum Rhodii, in quorum numis Sol hac facie repræsentetur, Syracusas colonis frequentaverint. Mavult Eckhel. adludi ad solem ab Hadriano e monte Ætna prospectum. Idem in numis Siciliæ p. 191 affert numum æneum cum capite Solis radiato, inscriptum Αἰτναίων.

mam rediisse. Accedit argumentum e tempore suscepti Patris Patriæ tituli petitum, qua de re accuratius disputandum erit, præeuntibus Eckhelio, Zoega, Spanhemio, aliis.

Spartianus c. 6 refert, Hadrianum delatum sibi statim et iterum postea Patris Patriæ nomen distulisse. Et jam statim hunc titulum ei delatum fuisse testantur multi numi primi Consulatus, inscripti P. P. Unum modo afferam urbis Pellæ in Macedonia ap. Mionnet. I, p. 482. Plures ut in re nota enotare supersedi. Zoega p. 128 suspicatur, Hadriano tertio Consulatu in Galliam profecto hunc titulum a Senatu renovatum esse et numis illatum, quotquot adventus in provincias respiciant; sed postea imperatorem abolevisse, idque testari multos numos tertii Consulatus hoc titulo carentes; tandem medio fere imperii tempore novo et insolito modo, fortasse acclamatione publica factum esse ut hunc titulum non amplius recusare posset. Spanhem. I, p. 447, rejectis narrationibus Spartiani de dilato P. P. titulo, nec non Eusebii et Chronici Alexandrini sive Paschalis auctoris, qui decimum annum imperii statuunt, statim cum suscepisse hunc titulum contendit. Atque Orosius, laudatus ap. Scaligerum in notis ad Hieronymi Chron. p. 213, refert Hadrianum continuo ultra morem majorum in Senatu Patrem Patriæ esse appellatum et uxorem ejus Augustam. Eckhel. p. 515, qui hunc titulum non ante annum 881 ab Hadriano susceptum esse contendit, simul addit, in marmoribus, quibus quidem fides habenda sit, numquam ante Trib. Pot. XII hunc titulum reperiri. Neque vero nobis passim in Muratorio quærentibus plures quam sex tales inscriptiones se obtulerunt, quæ omnes νοθείας signa præ se ferunt, una fortasse excepta[2]. Ex Orellio

[2]) Appono locos inscriptionum huc pertinentes; argumenta νοθείας inprimis ex erroribus notarum numeralium repetuntur.

tamen duas descripsimus, unam p. 5 hujus libelli, positam ut nos suspicamur initio imperii Hadriani quum primum Romam veniret, quamquam, quum tempus accurate non definiat, potest quoque ad seriorem adventum pertinere; alteram p. 12, positam Hadriano tertium Consuli, in qua tamen literæ P. P. possunt aliam explicationem admittere, ut legendum sit: pecunia publica. Mihi tamen hæc explicatio h. l. non probatur. Atque Josephus Scaliger in notis ad Hieronymi Chron. p. 213 duas affert inscriptiones in quibus Hadrianus secundo Consulatu P. P. appelletur. Integras appono, ut pateat nullam idoneam causam esse, cur eas ut spurias rejiciamus. Altera exstat Romæ: *Imp. Cæsari Divi Trajani Parthici Fil. Divi Nervæ Nep. Trajano Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot. Cos. II P. P. IV viri viarum.* Altera in Transilvania, initio corrupta: *Imp. Cæs. ... Divi Traj. ... thici Fil. Nervæ nepoti Trajano Hadriano Aug. Pontifici Max. Trib. Potesta. II. Cos. II. P. P. Colonia Ulpia Trajana Aug.* Patet causa cur adhuc inscriptiones secundi Consulatus hunc titulum habere possent; erant enim qui solito adulantium more verecundiam principis vincere conarentur. Sed ut verum fateamur, errasse nobis videtur Eckhel. in tempore suscepti P. P. tituli accuratius definiendo. Latinus Hieronymi textus ad annum 880 hæc habet: Imperator Hadrianus P. P. appellatur et uxor ejus Augusta; quum Græcus textus hoc ad annum 882 referat. Necesse est alterutrum saltem a vero aberrare; et priori narrationi gravissimum præsidium afferunt Eusebius et auctor Chronici Paschalis, qui ut diximus annum 879 statuunt;

Murat. p. 232: Cos. II, Imp. IX, P. P.; p. 233: Trib. Pot. VI, Imp. VI, Cos. III, P. P.; p. 451, 1: Trib. Pot. II, Cos. II, P. P.; p. 451, 2: Trib. Pot. IIII, Imp. III, Cos. IIII, P. P.; p. 1030 Trib. Pot. Cos. III, P. P.; p. 1082: Adriano (sic) Cos. IIII, P. P.

porro numi Hadriani Alexandrini ap. Zoegam p. 127—128 cum nota anni ιβ', ιγ', inscripti πατὴρ πατρίδος, quos Eckhel. in numis Alexandriæ p. 64 miro errore ad suam sententiam stabiliendam affert, quum tamen annus Alexandrinus undecimus incipiat sub finem mensis Aug. anni 879. Quum igitur ex his quæ disputavimus, pateat, jam anno 880 Hadrianum Patris patriæ nomen suscepisse, quid tandem verosimilius quam hunc titulum inter eos honores fuisse, quibus lætus populus reditum principis post tot annorum absentiam celebraret. Quum enim Hadrianus titulum bis delatum recusasset, necessarium erat ut nova et extraordinaria occasio reperiretur; sine qua verendum erat, ne tertium recusaret. Verum vidisse videtur Zoega, quamquam sententiam suam non accuratius explicavit.

Quum ex iis quæ disputavimus Hadrianum anno 880 Romam rediisse appareat, quærendum est, quam diu ibi remanserit. Romæ adhuc morantem initio anni 882 facit Tillemont. p. 242, afferens ex Digest. l. V., tit. 3 literas ab eo V Non. Mart. hujus anni ad Senatum datas. Et videtur adhuc anno 883 ibi fuisse, quum eo anno templum Fortunæ dedicaret[3]. Eckhel. p. 481 affirmat eum sub finem anni 882 fuisse in Arabia; falso, ut postea apparebit. Sed in hoc tempus teste Spartiano c. 13 incidit excursio in Africam, ubi multum beneficiorum provinciis Africanis attribuit. Adventum Hadriani in Africam idem sed tempore non definito indicat c. 22: "*Quando in Africam venit, ad adventum ejus post quinquennium pluit, atque ideo ab Africanis dilectus est.*" Sed hic locus ad seriorem profectionem ex Ægypto susceptam pertinet, quum verosimilius sit regiones Ægypto vicinas tamdiu pluvia caruisse, quam regiones contra Italiam sitas. Parum enim accurate locutus est Spartianus, quum priore loco regiones Africæ contra Italiam sitas, posteriore provincias Ægypto vicinas intellexisse videatur. Ex Ægypto Hadrianum in Libyam propinquam transiisse patet ex Athenæo XV, p. 677: ὁ ῥοδίζων λωτὸς τὸ αἷμα ἐδέξατο τοῦ Μαυρουσίου λέοντος, ὃν κατὰ τὴν πλησίον τῇ Ἀλεξανδρείᾳ Λιβύην ἐν κυνηγίῳ καταβεβλήκει ὁ Ἀδριανός. Atque numus ap. Eckhel. p. 497, si genuinus est, Hadrianum prædicat Restitutorem Libyæ, quod utrum ad verba Hieronymi in Chron. l. I, p. 45: "*In Libyam, quæ a Judæis vastata fuerat, colonias deducit*[4]," pertineat nescio. Sed hoc loco de profectione in Africam e Roma suscepta disserendum erat, quam et numi et marmora prædicant[5]; verum, deficientibus et scriptorum et monumentorum auctoritatibus, de tempore nihil aliud affirmare possumus, quam hoc iter inter annos 880—883 inserendum esse, et quidem ita ut in ultimam hujus temporis partem cadat.

---

[3]) De tempore dedicationis hujus templi vide quæ diximus p. 14. Malumus cum Eckhelio annum 883 quam 884 statuere propter dedicationem Olympiei, de qua disputabitur capite 5to hujus libelli.

[4]) In libro posteriore hæc res anno 875 assignatur. De calamitatibus quibus Judæi rebelles sub Trajano et Hadriano Libyam affecissent cfr. Dion. Cass. p. 1146.

[5]) Ap. Eckhel. p. 488 quatuor numi Hadriani inveniuntur, quorum primus inscriptus est: *Africa*, secundus: *Africa Cos. III P. P.* tertius: *Adventui Aug. Africæ*, quartus: *Restitutori Africæ.* Murator. p. 1099 habet marmor valde corruptum, Tunitii repertum, unde tamen patet, Hadriano posuisse municipium Ælium Avittam, quod oppidum Africæ Tabulæ Pentingerianæ et Ptolemæus (l. IV, p. 112 commemorant situm μεταξὺ Θάβραχος πόλεως καὶ Βαγράδα ποταμοῦ); sed quo tempore positum sit non liquet. Aliud marmor ap. eundem p. 2008, unde discimus Hadrianum viam Carthagine Thevesten stravisse, huc non pertinet, quum positum sit Trib. Pot. VII. Carthaginem ab illo vocatam esse Hadrianopolin refert Spartian. c. 20.

Spartianus enim c. 13 refert, Hadrianum quum per Africam Romam rediisset, *statim* ad Orientem profectum per Athenas iter fecisse atque Jovis Olympici ædem dedicasse, quæ dedicatio, ut c. V docebitur, in primam dimidiam partem anni 883 cadit.

Diximus supra probabile esse Hadrianum propter dedicationem templi Fortunæ adhuc anno 883 Romæ commoratum esse. Hanc suspicionem confirmat inscriptio ap. Fabrettum p. 451 (ap. Orell. no. 2453) a Collegio Victimariorum in honorem Hadriani Trib. Pot. XIII, VI Cal. Mai. posita. Integram appono, a Fabretto probabili conjectura restitutam: "*Imp. Cæsari Divi Trajani Parthici F. Divi Nervæ nepoti, Trajano Hadriano Aug. Pontifici Maximo Trib. Pot. XIII, Cos. III, P. P. Collegium Victimarior. qui ipsi et sacerdotibus et magistr. et Senatui apparent, quod, cum commodis eorum impugnaretur* (sic), *liberalitate ejus restituta sint. Dedic. VI Kal. Mai.*" Quum Hadrianus III Id. Aug. imperium simul et Tribuniciam potestatem adeptus sit, et hæc inscriptio posita sit VI Cal. Mai., patet eam non ad annum 882 sed 883 pertinere[6]. Collegium Victimariorum Fabrettus recte non victimarios negotiatores ap. Plin. H. N. VII, c. 12, s. 10 esse statuit, sed eos qui in sacrificiis imperatori, sacerdotibus, magistratibus præsto erant. Jam non dubitari potest, quin hæc inscriptio Hadriano præsenti sit posita, quum Victimariis, hominibus infimæ sortis, vix in mentem venerit per literas vel nuntio misso beneficia a principe expetere. Apponam h. l. alias inscriptiones Hadriano per hoc tempus positas. Ap. Pocock. p. 68 exstat inscriptio Nolæ reperta: "*Imp. Cæs. Divi Trajani Parthici Fil. Divi Nervæ Nep. Trajano Hadriano Augusto Pont. Max. Trib. Pot. XIII.*"

[6]) Mirus est error Orellii, hunc inscriptionem anno p. Chr. 119 (a. U. 872) positam esse statuentis.

Ap. Gruter. p. 1016 (Orell. no. 1852) legitur inscriptio prope Gruttas ad mare in agro Firmano reperta: "*Trajanus Hadrianus Aug. Pont. Max. Trib. Pot. XI, Cos. III munificentia sua templum Deæ Cupræ restituit.*" Strabo V, p. 183, Siebenk. Cupræ fanum commemorat ab Etruscis in Piceno conditum, addens Junonem ab iis Cupram vocari: τὸ τῆς Κύπρας ἱερόν, Τυῤῥηνῶν ἵδρυμα καὶ κτίσμα. τὴν δ' Ἥραν ἐκεῖνοι Κύπραν καλοῦσι. Silius Italicus VIII, 434 huc alludit: "*Et queis litoreæ fumant altaria Cupræ.*" Aliam addam inscriptionem serioris temporis unde pietas Hadriani in numina paterna appareat. Exstat. ap. Murat. p. 147 (Orell. no. 2503) apud oppidum civitatis Laviniæ reperta: "*Imp. Cæs. Divi Trajani Parth. F. Divi Nervæ N. Trajanus Hadrianus Aug. Pont. Max. Trib. Pot. XX, Cos. III, P. P. J. S. M. R.* (Junoni Sospitæ Magnæ Reginæ)[7] *statuam ex donis aureis et arg. vetustate corruptis fieri et consecrari jussit ex auri P. III et arg. P. CCVI.*" Huc pertinet locus Spartiani c. 22: "*Sacra Romana diligentissime curavit, peregrina contempsit; Pontificis Maximi officium peregit,*" quum priores titulo contenti rem neglexissent. Atque ex inscriptione ap. Murat. p. 188 patet Hadrianum Trib. Pot. II, Cos. III fuisse Fratrem Arvalem. Salmasius ad Spartian. p. 55 peregrina illa sacra, ab Hadriano contempta, intelligit de Ægyptiacis; parum recte, nam hæc jam aliquamdiu apud Romanos recepta fuerant, atque Hadrianum vehementer illis favisse postea docebitur. Aut igitur erravit Spartianus, aut peregrina sacra sunt Mithriaca atque id genus alia, quæ nondum apud Romanos recepta erant, quæque Hadrianus recipi nolebat. Porphyrius p. 202, Rhoer., refert Hadrianum edicto cavisse, ne quis homines im-

[7]) Miror cur Muratorio in mentem venerit p. 452, ubi eadem inscriptio repetitur, literas J. S. M. R. legere: Isidi Matri.

molaret, id quod Creuzer Myth. u. Symb. I, p. 760, qui hunc locum laudat, ad Mithriaca retrahit. Quam explicationem confirmat Euseb. Præp. Evang. IV, p. 156: καταλυθῆναι τὰς ἀνθρωποθυσίας σχεδὸν τὰς παρὰ πᾶσί φησι Πάλλας ὁ ἄριστα περὶ τῶν τοῦ Μίθρα συναγαγὼν μυστηρίων, ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος. Peregrina sacra non posse de Græcis sacris intelligi cuivis perspicuum est, atque patet præterea ex loco Aurelii Victoris, quem jam sum allaturus de Mysteriis Eleusiniis Romæ ab Hadriano institutis. Ad curam sacrorum Romanorum pertinet numus Hadriani, quem Tristan. I, p. 479 et Spanh. II, p. 527 ex Occone laudant inscriptum: *Sacra Romana restituta.*

Hic non omittendus est locus Aurelii Victoris, cujus mentionem nuper fecimus. Ita igitur ille, XIV, 3: "*Pace ad Orientem composita Romam regreditur, ubi Græcorum more, seu Pompilii Numæ, cærimonias, leges, Gymnasia doctoresque curare occoepit, adeo quidem ut ludum etiam ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, constitueret, atque initia Cereris Liberæque, quæ Eleusinia dicuntur, Atheniensium modo Romæ percoleret.*" Dubitari potest, ad quod tempus hæc instituta sint referenda; verba enim illa, "pace ad Orientem composita", duplicem explicationem admittere videntur, ut vel referantur ad bellum Parthorum Hadriani colloquio repressum, vel ad bellum Judaicum[8]. Sed quum bello Judaico non ante annum 888 finis sit impositus[9], et ultima Hadriani tempora crudelitate et sævitia potius quam clementia et beneficiis sint insignia,

[8]) Hoc Tillem. p. 252 videtur statuere, quum locum Victoris laudet, postquam docuit Hadrianum anno 888 Athenis Romam esse reversum.

[9]) Eusebii Chron. ad annum 135: οἱ Ἰουδαῖοι κακῶς ἀπήλλαξαν καὶ ὁ πρὸς αὐτοὺς πόλεμος πέρας ἔσχεν.

prior explicatio vel hanc ob causam probabilior est. Aliquod momentum sententiæ nostræ etiam illud addit, quod mos est hominum, quidquid adamarunt, id statim magno studio urgere, non in ultima vitæ tempora differre. Verosimile est igitur, Hadrianum, qui Atheniensium studia moresque hausisset, ubi primum Romam rediisset dedisse operam, ut eosdem mores, eadem studia etiam Romani colerent. Et ipsa narratio Victoris, nisi omnia promiscue confudit nulla temporis habita ratione, videtur pro nostra explicatione facere, quoniam nulla probabilis causa potest afferri, cur Hadrianus Mysteria Eleusinia, quæ ipse anno 877 suscepit, Romæ celebrare ad annum usque 888 distulit. Athenæum illud Romæ conditum commemorant Philostratus p. 589 et Dio Cassius p. 1240. Recitationes poetarum et declamationes rhetorum ibi habitas fuisse, patet ex Capitolini Pertin. c. 11; ejusdem Gordian. c. 3; Lampridii Alex. Sever. c. 35. Secundum Nardinum Rom. Vet. V, 13, Tom. IV, p. 1221 Græv., fuit in Capitolio. De eo commentati sunt Casaub. ad Capitol. Pert. c. 11, et J. F. Gronovius in Dissertat. de Museo Alexandr. (Thes. Antiqq. Græcc. vol. VIII, p. 2750). Bibliothecam hunc in usum conditam fuisse, per se probabile est et a doctis vulgo statuitur[10].

---

[10]) Excerpta in Jahnii Annal. Philol. Tom. II, p. 360 ex Poppii libello de Rom. Biblioth. duas commemorat bibliothecas ab Hadriano conditas, Tiburtinam et Capitolinam. Huc pertinet inscriptio ap. Murat. p. 2033 in via Ostiensi reperta: Ἀρχιερεῖ Ἀλεξανδρείας καὶ Αἰγύπτου πάσης Λευκίῳ Ἰουλίῳ Οὐηστινίῳ καὶ ἐπιστάτῃ τοῦ Μουσείου καὶ ἐπὶ τῶν ἐν Ῥώμῃ βιβλιοθηκῶν Ῥωμαϊκῶν τε καὶ Ἑλληνικῶν καὶ ἐπὶ τῆς παιδείας Ἀδριανοῦ (a studiis Hadriani) ἐπιστολεῖ τοῦ αὐτοῦ αὐτοκράτορος. Alia inscriptio ap.

Caput V.

Diximus p. 46, Hadrianum, quum post Africam Romam rediisset, statim ad Orientem profectum per Athenas iter fecisse atque Jovis Olympii ædem dedicasse. Primum Olympiei architectum Pausanias, l. I, p. 67 Fac., juxta fabulas refert Deucalionem existimari: τοῦ Ὀλυμπίου Διὸς Δευκαλίωνα οἰκοδομῆσαι λέγουσι τὸ ἀρχαῖον ἱερόν. Atque in Marm. Oxonn. p. 18 legimus: Δευκαλίων ..... τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου τὸ ἱερὸν ἱδρύσατο. Sed nullam fidem huic narrationi habendam esse, vel sine argumentis patet, et docet præterea locus Vitruvii in Præf. l. 7, p. 155, Rode, qui a Pisistrato demum, architectis Antistate, Callæschro, Antimachide, Porino, fundamenta jacta esse refert, sed propter interpellationem rei publicæ totum opus inchoatum fuisse relictum. Id confirmatur verbis Strabonis, l. 9, p. 364 Tzschucke: τὸ Ὀλύμπιον ὅπερ ἡμιτελὲς κατέλιπε τελευτῶν ὁ ἀναθεὶς βασιλεύς. Aristoteles, si accurate locutus est, filios continuasse testatur Polit. l. 5, c. 11: τοῦ Ὀλυμπίου ἡ οἰκοδόμησις ὑπὸ τῶν Πεισιστρατιδῶν. Sed imperfectum tamen diu mansisse multis veterum locis confirmatur. Plutarch. Sol. c. 32 Hutten: ὡς ἡ πόλις τῶν Ἀθηναίων τὸ Ὀλυμπίειον, οὕτως ἡ Πλάτωνος σοφία τὸν Ἀτλαντικὸν ἐν πολλοῖς καλοῖς μόνον ἔργον ἀτελὲς ἔσχηκεν. Ap. Lucian. in Icaromenippo, c. 24 Bipont., Jupiter interrogat, εἰ τὸ Ὀλύμπιον αὐτῶν ἐπιτελέσαι διανοοῦνται (οἱ Ἀθηναῖοι).

eundem p. 706 et ap. Pocock. p. 19 videtur quidem potius bibliothecas Alexandrinas commemorare. Apponam tamen hoc loco, quum verba turpiter lacera explicationem omnino certam non admittant; quare dubium saltem esse potest, ad Alexandrinas an ad Romanas bibliothecas pertineat: *Proc. ... Imp. Cæs. Trajani Hadriani ... ad Dioecesin Alexandrin. Proc. Bibliothecar. Græc. et Latinar. ab epist. etc.*

Ad quem locum Solanus, et Casaubonus ad Athenæum V, p. 194, miro errore scribunt, Perseum hanc ædem inchoasse. Fraudi illis fuit locus Liv. l. 41, c. 20: "Magnificentiæ vero in deos vel Jovis Olympii templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine dei, potest testis esse." Qui locus nihil aliud continet, quam Perseum Macedonum regem hoc opus ab aliis inchoatum profligasse. Schol. ad l. l. Luciani: Ὀλύμπιον, ὅπερ ἐστὶν ἱερὸν τοῦ Ὀλυμπίου Διὸς ἐν Ἀθήναις, διὰ μεγαλουργίαν ἀπορούντων Ἀθηναίων χρημάτων, πλεῖον τῶν τ' ἐτῶν παρέτεινε κτιζόμενον, ὡς καὶ ὁ ἐν Κυζίκῳ νεὼς, καὶ οὐκ ἂν συνετελέσθησαν ἄμφω, εἰ μὴ Ἀδριανὸς ὁ αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων δημοσίοις ἀναλώμασι συναντελάβετο τῶν ἔργων. Hesychius: Ὀλύμπιον· τοῦτο ἀτελὲς ἔμεινεν Ἀθήνησιν οἰκοδομούμενον, πολλάκις ἀρχὰς λαβὸν τῆς κατασκευῆς. Præter Perseum etiam Antiochus Epiphanes hoc templum exstruere aggressus est. Vitruv. l. l.: "Circiter annis CC[1] post Antiochus rex quum in id opus impensam esset pollicitus ... civis Romanus Cossutius nobiliter est architectatus."[2] Velleius Paterc. I, 10 minus accurate: "Antiochus Epiphanes qui Athenis Olympieum inchoavit." Polybius, l. 26 c. 10 Schweigh., de Antiocho Epiphane: ἐν δὲ ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς πάντας ὑπερέβαλλε τοὺς βεβασιλευκότας. τοῦτο δ' ἄν τις τεκμήραιτο ἐκ τοῦ παρ' Ἀθηναίοις Ὀλυμπιείου. Sullam inde columnas avexisse auctor est Plin. H. N. l. 36 c. 6. Has columnas a Sulla avectas Dodwell, Classic. tour through Greece vol. I, p. 388, suspicatur fuisse minores quasdam in cella positas, quum majores illæ, Stuartio teste 124 numero, vix possent propter magnitudinem

1) Meursius emendat: annis CD.

2) Dodwell Tom. I, p. 391 affert inscriptionem sepulchralem, prope Olympieum repertam: Δέκιμος Κοσσούτιος Ποπλίου Ῥωμαῖος, quæ ad hunc Cossutium pertinere videtur.

auferri. Sueton. Oct. c. 60 refert reges amicos atque socios hoc templum communi sumptu perficere Genioque Augusti dedicare voluisse; sed eventu caruisse hoc consilium, ex scriptorum silentio probabili conjectura colligitur. Idem Calig. c. 22 auctor est Caligulam imaginem Jovis inde in Capitolium transtulisse, et dempto capite Jovis suum imposuisse. Hadrianum finem operi imposuisse docet præter auctores jam laudatos Pausan. l. I, c. 18, 6; Dio Cass. p. 1164; tum Philostratus in vita Polem. p. 533: τὸ δὲ Ἀθήνησι Ὀλύμπιον, δι᾽ ἑξήκοντα καὶ πεντακοσίων ἐτῶν ἀποτελεσθέν, καθιερώσας ὁ αὐτοκράτωρ ὡς χρόνου μέγα ἀγώνισμα, ἐκέλευσε καὶ τὸν Πολέμωνα ἐφυμνῆσαι τῇ θυσίᾳ[3]. Templi magnificentiam testantur innumeri scriptorum loci. Pausan. l. l. describit statuam Jovis ab Hadriano dedicatam, ex auro et ebore confectam, tum refert duas ibi fuisse statuas Hadriani ipsius e Thasio marmore duasque ex Ægyptio; præterea singula a singulis urbibus dicata ænea simulacra Hadriani, inter quæ ob magnitudinem memorabile Atheniensium: χαλκαῖ δὲ (εἰκόνες Ἀδριανοῦ) ἑστᾶσι πρὸ τῶν κιόνων, ἃς Ἀθηναῖοι καλοῦσιν ἀποίκους πόλεις. ὁ μὲν δὴ πᾶς περίβολος σταδίων μάλιστα τεσσάρων ἐστὶν, ανδριάντων δὲ πλήρης. ἀπὸ γὰρ πόλεως ἑκάστης εἰκὼν Ἀδριανοῦ βασιλέως ἀνάκειται, καὶ σφᾶς ὑπερεβάλοντο Ἀθηναῖοι τὸν Κολοσσὸν ἀναθέντες ὄπισθε τοῦ ναοῦ θέας ἄξιον. Inscriptiones in singulis singularum urbium statuis Hadriano Olympio positas postea commemorabimus. Spartian. c. 13 refert Hadrianum præter Olympieum etiam aram sibi dedicasse, atque Dio Cass. l. l. auctor est, Hadrianum omnibus Græcis permisisse, ut fanum (τὸν σηκόν) sibi nomine Panhellenium ædificarent, et ludos ederent. Videtur hoc fanum sive cella fuisse pars

---

[3]) Cfr. Meursium Athen Att. l. I, c. 10 in Græv. Thes. Tom. IV, p. 849 sqq., unde potiora momenta desumpsimus.

Olympiei in qua Hadriani statua posita erat. Cæterum quod F. A. Wolfius ad Suet. Oct. l. l. scribit, antiquissimum hoc Jovis templum fuisse, cujus jam Thucydides meminerit, parum accurate vir doctissimus locos ipsos inspexit. Thucydides enim l. 6, c. 64 et passim alibi de Olympieo Syracusano loquitur. De Olympieo quod Athenis fuit cfr. Dodwell Tom. 1, p. 387—391.

Sed hoc loco exoritur gravissima quæstio, quo tempore dedicatum sit Olympieum. Nam et ex verbis Spartiani c. 13 supra p. 47 allatis, et ex iis quæ afferentur ubi de tempore adventus in Ægyptum disputabitur, Hadrianum non diu Athenis commoratum esse patet. Jam igitur, ubi exposuerimus, quo tempore dedicatum sit Olympieum, eadem opera docuerimus, quo tempore Athenas venerit. Atque Caylus quidem, Rec. II, p. 212 statuit annum 884; Olearius in Chronol. ad Philostr. Vitas Sophist. 884 vel 885; Chandler, Inscr. Antiqu. p. 26 Syllabi et notar., 885; Reimar ad Dion. p. 1164, atque Meursius, Athenæ Att. I, c. 10, 885 vel 886, laudans Anonymum in descriptione Olympiadum qui annotat Ol. 227, 3 sive 885 et Eusebium Hieronymi qui sequentem annum statuit; Corsini, Fasti Attici, II, p. 105—112, Olymp. 227, 3, sive annum 885. Qui quum solus sententiam suam uberius explicarit, argumenta ejus accuratius examinanda censemus. Laudat locum Dion. Cass. p. 1159, E, de secundo Hadriani adventu in Græciam deque secunda initiatione mysteriorum, de itinere per Judæam in Ægyptum, de morte Antinoi deque condita Antinoopoli. Deinde, neglecta et omissa prolixa Dionis narratione de bello Judaico, adjungit continua serie alium locum Dionis, p. 1164 A, de Olympieo dedicato, de Liberalibus apud Athenienses editis, de munere Archontis apud eosdem gesto, de beneficiis in eos collatis, de reditu Hadriani Romam et morbo; quasi hi duo loci cohærerent et res deinceps ab Hadriano gestas continua

serie enarrarent. Contendit Hadrianum uno eodemque anno Olympieum dedicasse, Dionysia celebrasse, Archontis Eponymi munus gessisse; id quod probo; sed quod addit eum præterea eodem anno mysteria revisisse (hoc verbo exprimit Græcum ἐποπτεύειν), id sub finem capitis III dixi me nón probare; quamquam id quidem h. l. parum refert. Jam addit: "Illud unum ostendendum mihi supererit, quod hæc altera Archontis dignitas[4] ad Olympiadem 227 referri debet. Id vero facile, nisi mea me fallit opinio, ex ipsa rerum serie variisque temporum characteribus inferri[5] potest, qui a Dione exprimuntur, si cum cæteris illis scriptoribus[6] accuratissime conferantur. Si quidem Dio ita res ab Hadriano imperatore gestas enumerat, ut Eleusine mysteriis initiatum fuisse ipsum dixerit antequam in Ægyptum contenderet, Dionysiique festis præsedisse postquam Ægyptum inviserat atque instaurato Pompeii tumulo Antinoi urbem ædificaverat. At Hadrianus ipse in Ægyptum anno Chr. 131 sive 132 concessit, ut ex ipsius epistola ad Severianum[7] Consulem anno 132 scripta Scaliger ostendit; ergo mysteria quibus Hadrianus initiatus fuit, ac Dionysia illa quibus mox Hadrianus ipse Archontis Eponymi munere fungens præsedit, ad annum Christi 132 sive 3 vel 4 Olympiadis 227 referri debent." Ostendit deinde, Eusebio, qui ad annum 3 Ol. 227 revisionem mysteriorum refert, id quod ex Corsinii sententia eodem anno factum est quo dedicatio Olympiei, majorem fidem habendam esse quam Hieronymo, qui, revisionem mysteriorum cum Eusebio ad Ol. 227, 3 referens, Hadrianum etiam sequenti anno sive 886 Athenis immorantem, ædes

---

4) Priorem gesserat anno urbis 865, nondum imperator factus.

5) Vult dicere: *doceri, demonstrari.*

6) Spartianum, Eusebium, Hieronymum significat.

7) *Servianum* dicere debebat.

dedicantem, Dionysiis præsidentem exhibeat; Eusebium enim accuratissimum esse scriptorem, Hieronymum vero in describendis rebus ab Hadriano gestis magnos sæpe errores commisisse. Sed primum erravit Corsinius, quod Hadrianum anno 131 sive 132 (884 vel 885) in Ægyptum profectum esse dicit, atque epistolam ad Servianum Consulem anno 885 datam esse. Nam in Ægyptum venit, ut cap. XI docebitur, sub finem anni 883 vel saltem ante exitum mensis Aug. anni 884, neque ante exitum mensis Aug. anni 886 inde discessit; atque epistolam ad Servianum datam esse anno 887 eodem capite docebitur. Deinde falsum est quod dicit Dionem res ab Hadriano gestas ita enumerare ut mysteriis eum ante initiatum esse dicat, quam in Ægyptum proficisceretur, Dionysiis vero præsedisse *postquam* Ægyptum invisisset. Non enim Dio hæc una serie enarrat, nec distinguit tempora. Denique quum Hadrianus non unum tantummodo mensem æstatis anni 885 apud Ægyptios, reliquos vero ejusdem anni apud Athenienses exigeret, sed fortasse tres, saltem duos continuos annos 883—886 apud Ægyptios commoraretur; falsa est hæc conclusio: In Ægyptum concessit anno 885; *ergo* mysteria, quibus ante profectionem in Ægyptum initiatus est, ac Dionysia, quibus mox ex Ægypto redux[8] præsedit, ad annum 885 sive Ol. 227, 3 referri debent. Idem postea p. 111 sententiam suam mutasse videtur, dicens: "Itaque in hac hypothesi quæ mihi omnium verosimillima videri solet, Hadrianus uno eodemque anno mysteria revisit, Olympicum dedicavit, Dionysia celebravit, Archontis Eponymi munus obivit, *antequam* per Judæam in Ægyptum con-

---

8) Hanc esse ejus sententiam inde patet quod p. 111 dicit: Itinerum varietas temporumque series postulat ut Olympiei dedicatio proxime ad Ol. 227 annum tertium revocetur, quo Hadrianum Ægyptum invisisse jam diximus.

tenderet, hoc est, anno 3 sive fortasse si mavis anno 4 Olympiadis 227" (anno 885 vel 886). Quod hæc omnia ante iter in Ægyptum susceptum facta esse statuit, id unice verum est; neque aliter statuere potuit propter auctoritatem Spartiani, quem ipse accuratissimum scriptorem vocat, locos ex cc. 13 et 14 ad ordinem itinerum Hadriani constituendum pertinentes sic laudans: "Postquam Tarracone hiemaverat, per Asiam et insulas ad Achaiam navigavit et Eleusinia sacra exemplo Herculis Philippique suscepit, multa in Athenienses contulit et pro Agonotheta resedit. Post in Siciliam navigavit .... inde Romam venit atque ex ea in Africam transiit. .... Quum post Africam Romam rediisset, statim ad Orientem profectus per Athenas iter fecit, atque opera quæ apud Athenienses coeperat dedicavit, ut Jovis Olympii ædem et aram sibi. Peragrata Arabia Pelusium venit et Pompeio tumulum magnificentius exstruxit; Antinoum suum perdidit." Atque quod Spartianus Olympieum ante dedicatum esse commemorat, quam Hadrianus Ægyptum inviseret, Dio vero id post Ægyptiacam profectionem describere videatur; hos scriptores Corsinius ita conciliat, ut Dionem obscurius locutum esse dicat, "adeoque ex Dionis hypothesi Olympici dedicationem ad illa propemodum tempora referri posse, quibus Hadrianus Athenis esset sacrisque mysteriis initiaretur." Quorum verborum sensum parum me perspicere fateor. Verum deceptus est Corsinius, quod non statim intellexit Dionis locos, quos ille tamquam unum conjungit, non cohærere, neque res apud illum eo ordine enarrari quo gestæ sint, sed totam narrationem de rebus apud Athenienses gestis insertam esse alieno loco quasi supplementi instar, quum eo loco, ubi de adventu in Græciam secundo deque revisione mysteriorum loqueretur, oblitus esset res Hadriani apud Athenienses gestas enumerare. Quod utrum Dionis an Xiphilini Epitomatoris

culpa factum sit, h. l. parum refert. Perspicuum est ex Spartiano, Hadrianum et munus Archontis Eponymi gessisse et Dionysiis præsedisse et Olympieum dedicasse *antequam* in Ægyptum proficisceretur. Omnia igitur inde pendent, quo tempore in Ægyptum pervenerit. Nam quod Eusebius hæc anno 885 gesta esse dicit, id nihili est, si constat Hadrianum a fine anni 883 ad exitum fere anni 886 apud Ægyptios commoratum esse, neque interea ex hac terra esse digressum. Atque quum ex veteribus scriptoribus nemo, cui quidem fides omnino habenda sit, tempus adventus et dedicationis Olympiei accurate definiat, statuendum est recentiores scriptores, quod totam itinerum Hadriani rationem parum perspectam haberent, nimium tribuisse auctoritati Eusebii et Anonymi illius in descriptione Olympiadum. Nam ex numero illo 560 annorum, quos in Olympieo ædificando consumptos esse dicit Philostratus l. l, nihil elici potest. Non enim constat, quo anno hoc templum ædificari coeptum sit. Atque quum Hadrianus, ut docuimus, a. d. VI Cal. Maj. anni 883 Romæ commoraretur, et in Ægyptum, ut postea docebitur, ante finem Aug. mensis vel ejusdem vel sequentis anni veniret, ibique saltem ad exitum mensis Aug. anni 886 remaneret, indeque in Syriam digrederetur, ubi verosimile est eum unum saltem annum esse commoratum; necessario sequitur ut dedicatio Olympiei in initium æstatis anni 883 cadat, nisi forte Spartiano, alioquin ordinem itinerum accuratissime notanti, omnem fidem derogamus, qui hoc iter per Athenas et Asiam et Orientem, de quo disputamus, a Roma inde susceptum, ante profectionem in Ægyptum ponit. Et ne quis objiciat, hac sententia accepta tempus brevius relinqui, quam quo possent tam longinquæ peregrinationes absolvi, tamen quatuor saltem menses relinquuntur; neque Hadriano in his itineribus aliud fuit propositum, quam ut templa, jam antea per varias regiones ædificari

coepta, dedicaret, initio jam Romæ ab æde Fortunæ facto, id quod facile poterat hoc tempore absolvi, inprimis si id tenemus, quod Spartiani verba innuere videntur, Hadrianum summa festinatione usum esse, ut per regiones jam ante peragratas ipsique notas in Ægyptum portentorum plenam ipsique visam quidem sed non penitus cognitam perveniret.

Caput VI.

Innumera beneficia Hadrianum non in Athenas solum sed etiam in reliquas fere omnes Græciæ urbes contulisse, satis constat, et jam a nobis commemoratum est. Sed quamquam verosimile est multa et fortasse plurima ad priorem commorationem pertinere, maluimus tamen tunc totum hunc locum differre, nisi si quam rem certa veterum testimonia certo tempori adsignabant. Hoc autem loco non videtur a re alienum fore, si accuratiore disquisitione instituta omnia veterum monumenta ad hanc rem illustrandam pertinentia colligimus, ut tota re uno sub obtutu posita eo melius intelligatur, quot et quanta hæc beneficia fuerint.

Initium merito facimus ab Athenis ipsis auctis et ornatis. Ingentes sumptus ab Hadriano ad ornandam urbem factos esse constat. Huc pertinet ultima pars epigrammatis quod p. 34 laudavimus: ἄσπετον ὃς πάσαις πλοῦτον κατέχευε πόλεσσιν, Ἀδριανὸν κλεινῆς δ᾽ ἔξοχα Κεκροπίης. Pausan. I, p. 76: Ἀθῆναι ὑπὸ τοῦ πολέμου κακωθεῖσαι τοῦ Ῥωμαίων αὖθις Ἀδριανοῦ βασιλεύοντος ἤνθησαν. Dio Cass. p. 1164: χρήματα πολλὰ τοῖς Ἀθηναίοις ἐχαρίσατο. Ex pecunia illa Athenienses Novas Athenas in insula Delo ædificasse, olim credebant V. V.

D. D. Huc pertinere videtur inscriptio ap. Gruter. p. 405: ὁ δῆμος τῶν Ἀθηναίων τῶν ἐν Δήλῳ. Spon. Miscellan. p. 343 habet longum decretum in Delo repertum, in cujus fine δῆμος Ἀθηναίων. Stephanus Byzant. hæc habet: Ὀλυμπίειον· τόπος ἐν Δήλῳ, ὃν κτίσαντες Ἀθηναῖοι χρήμασιν Ἀδριανοῦ Νέας Ἀθῆνας Ἀδριανὰς ἐκάλεσαν. Boeckh. Tom. II, p. 225 habet inscriptionem: ἐποίησεν τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων τῶν ἐν Δήλῳ τιμηθῆναι χρυσῷ στεφάνῳ. Et plures inscriptiones tales poterant addi. Sed Dorvill. Miscell. Observ. Tom. VII, p. 74 sqq. docuit Novas illas Athenas Deli et Olympieum Deli nihili esse, neque umquam fuisse, usus inprimis argumento ex reliquorum scriptorum silentio petito, tum inde quod Steph. Byzant. non eo loco, quo cæteras urbes Athenarum nomine insignes enumeret, Athenas illas Deliacas commemoret.

Dio Cass. p. 1164 auctor est Hadrianum etiam annonæ ap. Athenienses prospexisse atque totam insulam Cephaleniam illis concessisse: σῖτον ἐτήσιον τήν τε Κεφαληνίαν ὅλην τοῖς Ἀθηναίοις ἐχαρίσατο. Nihilo tamen minus in inscriptione ap. Boeckh. I, p. 415, Athenis posita in honorem Hadriani Olympii urbs Pallensium Cephaleniæ vocat se ἐλευθέραν καὶ αὐτόνομον. Itaque Boeckhius suspicatur Pallenses rursus ab Hadriano fuisse exemptos, aut, quæ Paciandii sententia est, donationem illam fuisse honorariam adscriptionem. Quæ qualis fuerit, Boeckhius intelligere se negat, neque ego intelligo. Sed illud patet Pallenses noluisse se Atheniensibus subditos putari.

Unam regionem Athenarum ædificavit et de se appellavit. Spart. c. 20: *"Quum titulas in operibus non amaret, multas civitates Hadrianopoles appellavit, ut ipsam Carthaginem et Athenarum partem."* Huc pertinet inscriptio in arcu Hadriani inter antiquam et novam urbem, quem arcum cum inscriptione Chandler (Travels

in Greece p. 73) tamquam adhuc exstantem commemorat, atque Dodwell Tom. I, p. 382 refert hunc arcum nunc unam esse ex septem Athenarum portis. Boeckh. Tom. I, p. 480 hanc inscriptionem, centies editam, sic exhibet: in ea parte quæ arcem spectat, Αἵδ' εἰσ' Ἀθῆναι Θησέως ἡ πρὶν πόλις; in altera parte Ilissum versus, Αἵδ' εἰσ' Ἀδριανοῦ κ' οὐχὶ Θησέως πόλις, atque laudat similem inscriptionem a Theseo in Isthmiaca columna positam teste Plutarcho, Thes. c. 25; Strab III, p. 457 Siebenk. Cives novæ hujus Athenarum partis in Hadrianida tribum conjectos esse probabile est, quamquam etiam veteres cives ex veteribus tribubus in eam receptos esse docet Boeckh. I, p. 315. Commemoratur hæc tribus a Pausania I, p. 20, præterea in inscriptionibus ap. Boeckh. I, p. 315, p. 381, p. 384, p. 393, p. 396 et sæpius alibi. Decem olim fuisse tribus Atheniensium constat. Quum autem Demetrius Poliorcetes a Cassandri dominatione urbem liberasset, duæ novæ additæ sunt, Demetrii patrisque Antigoni nominibus appellatæ. Hic tribuum numerus usque ad Hadrianum permansit, quamquam mutatis Antigonidis et Demetriadis cum Ptolemaide et Attalide nominibus[1].

Hadrianopolis illa Athenarum brevi post desiit Hadriani nomine vocari, quum potius Novæ Athenæ vocaretur. Ap. Wheler. p. 440 occurrit inscriptio in aquæductu Hadriani in monte St. Georgii prope regionem ab Hadriano conditam: "*Imp. Cæsar T. Ælius Hadrianus Antonius Aug. Pius. Cos. III, Trib. Pot. II, P. P. aquæductum in Novis Athenis coeptum a Divo Hadriano patre suo consummavit dedicavitque.*" Hanc Atheniensium sive levitatem sive superbiam, qua novam urbis suæ partem conditoris nomine vocari nolebant, non imitatæ sunt reliquæ urbes ejus nomine appellatæ,

[1]) Schoemann de Com. Ath. p. 37.

quæ plurimæ satis diu tali denominatione gaudebant. Eckhel. Tom. IV, p. 328 septendecim urbes recenset Hadriani nomine appellatas, quibus multæ aliæ addi possunt. Sunt illæ: Hadrianopolis Thraciæ[2], Oresta Thraciæ[3], Coela Chersonesi Thraciæ[4], Nicopolis Moesiæ inferioris[5], Cyzicus Mysiæ[6], Hadrianotheræ Mysiæ[7], Parium Mysiæ[8], Nicomedia Bithyniæ[9], Hadrianopolis Bithyniæ[10], Hadriani Bithyniæ[11], Bithynium sive Clau-

[2]) Numi frequentes Hadrianopoleos Thraciæ ab Hadriano usque ad Gordianum, Eckhel. p. 33, Mionnet. I, p. 385 sqq.

[3]) Lampridius in Vita Heliogabali, quamquam narrationem ejus parum perspicio.

[4]) Hanc urbem posui auctore Eckhel., sed numos ipsos non inveni.

[5]) Mionnet I, p. 359 habet numum hujus urbis inscriptum: Νικοπολι. Ἀδριανοπολειτῶν.

[6]) In marmore Cyziceno ap. Caylum, Recueil Tom. II, tab. 60, 61 et 62 hæc urbs vocatur ἡ λαμπροτάτη μητρόπολις τῆς Ἀσίας, Ἀδριανὴ νεωκόρος φιλοσέβαστος Κυζικηνῶν πόλις.

[7]) Dio Cass. p. 1159, Spartian. c. 20. Spanh. p. 336 numum habet inscriptum Ἀδριανοθηρειτῶν; Mionnet Tom. II, p. 435 sqq. duos tales Hadriani, tres Antinoi; plures Eckhel. p. 416 ab Hadriano usque ad Gordianum. Quod Spartian. et Dio Cass. referunt hanc urbem conditam esse in memoriam venationis, qua ursum in finibus Bithyniæ et Mysiæ occidisset Hadrianus, eo pertinet numus ap. Eckhel. p. 510 inscriptus: *Virtuti Augusti*, repræsentans imperatorem equitem, feram hasta confodientem. Caylus Tom. I, p. 138 huc retrahit sculptum lapidem cum figura equitantis, feram confodientis, quam figuram ipsum Hadrianum esse contendit.

[8]) Hujus urbis numos habet Eckhel. p. 462 inscriptos C. I. G. H. P., id quod explicat: *Colonia Julia Gemella Hadriana Pariana.* Similes habet Mionnet Tom. II, p. 377, 378, 380.

[9]) Inscriptio ap. Boeckh. p. 845: ἡ μητρόπολις καὶ πρώτη Βειθυνίας Πόντου Ἀδριανὴ νεωκόρος Νεικομήδεια.

[10]) Numos Hadrianopolitarum Bithyniæ vide ap. Mionn. Tom. II, p. 433 sqq; ap. Eckhel. p. 413.

[11]) Numos imperatorios, ab Hadriano ad Saloninam, Hadria-

diopolis Bithyniæ[12], Cius Bithyniæ quæ et Prusias ad mare[13], Amasia Ponti[14], Neocæsarea Ponti[15], Jconium Lycaoniæ[16], Philomelium Phrygiæ[17], Smyrna Joniæ[18],

---

norum urbis Bithyniæ ad Olympum montem sed situ incerto, quare interdum inter Mysiæ urbes refertur, vide ap. Eckhel. p. 413; et usque ad Gordianum Seniorem ap. Mionnet. Tom. II, p. 428—433. In numis ap. Mionnet. scribitur Ἀδριανῶν πρὸς Ὀλύμπῳ vel πρὸς Ὄλυμπον. Philostratus in Vita Aristidis Sophistæ p. 581: Ἀριστείδην Ἀδριανοὶ μὲν ἤνεγκαν. Οἱ δὲ Ἀδριανοὶ πόλις οὐ μεγάλη ἐν Μυσοῖς. Ad quæ Olearius observat, auctorem argumenti in Panathenaicam Aristidis testari urbem dictam esse Ἀδριανούπολιν et cives Ἀδριανούς. Sed Eckhel. et Mionnet. l. l. discernunt duas urbes Bithyniæ, Hadrianos et Hadrianopolin. Fuere qui Hadrianos et Hadrianotheras confunderent et unam urbem esse statuerent. Notandus error Tzetzæ Chil. p. 321 Kiessl., qui non discernit inter Hadrianopolin Bithyniæ, Hadrianopolin Thraciæ et Æliam Judæorum.

12) In numis usque ad Gallienum hæc urbs Hadrianam se profitetur teste Eckhel. p. 492 in numis Geographicis Hadriani. Cfr. Mionnet. Tom. II, p. 417 sqq.; Tristan. Comment. hist. I, p. 547; Spanh. de usu et præst. num. II, p. 332. Fuit hæc urbs patria Antinoi, de qua vide Pausan. l. 8, p. 375 Fac.

13) Numus Hadriani ap. Eckhel. p. 437 et numus Sabinæ ap. Mionnet. Tom. II, p. 499 inscribitur Καινῶν Ἀδριανῶν.

14) Hadriane vocatur primum in numis Commodi et retinet deinde constanter hoc nomen in numis sequentium Imperatorum. Eckhel. in numis Ponti p. 344; Mionnet. Tom. II, p. 336—339.

15) Numus Faustinæ junioris et alius Getæ ap. Eckhel. p. 355 et Mionn. Tom. II, p. 352 inscribitur Ἀδριανῶν Νεοκεσαρέων (sic).

16) In numo Gordiani Pii ap. Mionnet. Tom. III, p. 535 hæc urbs vocat se Coloniam Æliam.

17) Numus Domnæ ap. Eckhel. p. 170 inscribitur Φιλομηλίων Ἀδριανῶν. Similes Septimii Severi, Carracallæ, Getæ ap. Mionnet. Tom. IV, p. 351.

18) Plures numi ap. Eckhel. p. 514 et ap. Mionnet. Tom. III, p. 205 inscribuntur Ἀδριανὴ Σμύρνα.

Stratonicea Cariæ[19], Tarsus Ciliciæ[20], Antiochia ad Sorum quæ et Adana Ciliciæ[21], Agæ Ciliciæ[22], Diocæsarea Ciliciæ[23], Mopsus Ciliciæ[24], Ælia Capitolina olim Hierosolyma[25], Petra Arabiæ[26], Hadrianopolis sive Hadriane Cyrenaicæ[27], Carthago[28].

---

19) Numus Valeriani Senioris ap. Eckhel. p. 591 et numus Gallieni ap. Mionnet. Tom. III, p. 381 inscribitur Ἀδριανοπολειτῶν Στρατονικέων.

20) Numus autonomus ap. Eckhel. p. 71 inscribitur Ἀδριανῆς Τάρσου; imperatorius Hadriani p. 74 Ἀδριανῶν Ταρσέων μητροπόλεως, et alii plures p. 74—76 Ἀδριανή.

21) In uno numo autonomo, tum imperatoriis Diadumeniani, Philippi, Treboniani, Gordiani, Decii, Valeriani, Domnæ ap. Eckhel. p. 48 in numis Ciliciæ. Mionnet Tom. III, p. 563 sqq. addit numos Plautillæ et Treboniani Galli.

22) In numis imperatoriis Antonini Pii, M. Aurelii, Commodi et Crispinæ, Septimii Severi, Caracallæ, Alexandri Severi, Gordiani Africani et filii, Pupieni et Balbini et Gordiani Pii, Gordiani Pii solius, Valeriani Senioris ap. Mionn. Tom. III, p. 541 sqq. Cfr. Eckhel. p. 38 in numis Ciliciæ, et Spanhem. Tom. I, p. 689. Haud raro in his numis Serapis et Isis. Quod utrum Hadriano tribuendum sit, affirmare non ausim; fuisse eum sacrorum Ægyptiorum studiosissimum constat.

23) Numus Severi ap Eckhel. p. 54 inscribitur Ἀδριανῶν Διοκαισαρέων Mionnet Tom. III, p. 577 addit numos Juliæ Domnæ et Philippi Senioris.

24) Multi numi hujus urbis imperatorii ap. Eckhel. p. 60 inscribuntur Ἀδριανῶν. In inscriptione ap. Gruter. p. 255 sub Antonino Pio posita hæc urbs vocatur Ἀδριανὴ ἱερὰ ἐλευθέρα ἄσυλος αὐτόνομος φίλη καὶ σύμμαχος Ῥωμαίων.

25) De hac urbe, quamquam argumentis non opus, vide tamen quæ in sectione de Judæa afferentur.

26) Numi hujus urbis ap. Eckhel. p. 503 inscribuntur Ἀδριανὴ Πέτρα μητρόπολις. Cfr. Spanh. Tom. I, p. 59. Mionnet. Tom. V, p. 587 sqq. habet unum talem Hadriani, unum M. Aurelii et Lucii Veri, duos Getæ; nec ullos habet quin hoc nomine inscripti sint.

27) Salmasius ad Spartian. e Tabb. Peutinger.

28) Spartian. c. 20.

Sed redeundum est ad res Hadriani per Achaiam gestas. Hadrianum, τὸν μουσικώτατον βασιλέα, de cujus studio literas apud Romanos promovendi locum Aurelii Victoris jam laudavimus, etiam Athenas, ipsa artium incunabula, variis institutis ad literarum studia pertinentibus auxisse et ornasse, vel sine testimoniis probabile est[29]. Neque desunt testimonia. Eusebius ad annum imperii 15^{mum} et 16^{mum} refert Hadrianum, quum insignes plurimas ædes Athenis fecisset, agonem edidisse, bibliothecamque miri operis exstruxisse. Pausanias l. I, c. 18, 9, refert Hadrianum præter Olympieum apud Athenienses exstruxisse templum Junonis, et templum Jovis Panhellenii, et Pantheum[30] (καὶ θεοῖς τοῖς πᾶσιν ἱερὸν κοινόν); tum *bibliothecam*, et *Gymnasium* ἐπώνυμον Ἀδριανοῦ, centum columnis e marmore Libyco ornatum. Bibliothecam illam re vera fuisse mirifici operis, apparet ex descriptione Pausaniæ. Ille enim post verba illa: θεοῖς τοῖς πᾶσιν ἱερὸν κοινόν continua serie subjungit: τὰ δὲ ἐπιφανέστατα ἑκατὸν εἴκοσι κίονες Φρυγίου λίθου. πεποίηνται δὲ καὶ ταῖς στοαῖς κατὰ τὰ αὐτὰ οἱ τοῖχοι. καὶ οἰκήματα ἐνταῦθά ἐστιν ὀρόφῳ τε ἐπιχρύσῳ καὶ ἀλαβάστῳ λίθῳ, πρὸς δὲ ἀγάλμασι κεκοσμημένα καὶ γραφαῖς. κατάκειται δὲ ἐς αὐτὸ (Facius recte emendat αὐτὰ, i. e. τὰ οἰκήματα) βιβλία. Quem locum ita interpretor: Magnificentissimum vero inter cætera opera est ædificium aliquod centum viginti columnis e marmore Phrygio ornatum, parietibus porticuum instar exstructis; in illo oeci sive

29) Philostratus in Vita Marci Byzantii Sophistæ p. 529: ἠγάσθη αὐτὸν Ἀδριανὸς ὁ αὐτοκράτωρ ... ἐπιτηδειότατος τῶν πάλαι βασιλέων γενόμενος ἀρετὰς αὐξῆσαι, id quod de impensis in literas factis recte explicat Olearius.

30) Idem illud commune omnibus diis templum commemorat Pausan. l. I, p. 21. Inscriptione in eo posita recensebantur omnia donaria et opera quibus Hadrianus quum Græcas tum barbaras urbes exornasset.

cellæ inaurato lacunari et alabastro præfulgentes, præterea signis et picturis exornatæ: in illis cellis bibliotheca reposita est. Quod sequitur: καὶ γυμνάσιόν ἐστιν ἐπώνυμον Ἀδριανοῦ. Κίονες δὲ καὶ ἐνταῦθα ἑκατὸν λιθοτομίας τῆς Λιβύων, id aperte significat, gymnasium illud non in eodem ædificio fuisse, in quo bibliotheca; erat enim gymnasium centum columnis e marmore Libyco ornatum, illud vero ædificium columnis centum et viginti e Phrygio marmore[31].

Philosophiæ studium apud Athenienses Hadrianus fovit. L. Egnatius Victor Lollianus, Ephesius, primum sub Hadriano Athenis philosophiam publice docuit. De illo Philostratus p. 526 sqq.: προὔστη μὲν τοῦ Ἀθήνησι θρόνου πρῶτος, προὔστη δὲ καὶ τοῦ Ἀθηναίων δήμου, στρατηγήσας αὐτοῖς τὴν ἐπὶ τῶν ὅπλων. Annotat Olearius triplicem fuisse illa ætate Athenis θρόνον sive pulpitum (Catheder), πολιτικὸν, φιλοσοφικὸν, σοφιστικὸν, atque ultimo præfuisse Lollianum, nondum tamen ornatis stipendio Professoribus illis, id quod aliquanto post factum est a M. Aurelio, et quod Theodotus, discipulus Lolliani, primus meruit. Athenis Lollianus duas habuit statuas, quarum μία μὲν ἐπ' ἀγορᾶς, ἑτέρα δὲ ἐν τῷ ἄλσει τῷ μικρῷ, ὃ αὐτὸς λέγεται ἐμφυτεῦσαι. Apud Chandler. Inscr. antiquæ p. 52 legitur inscriptio Athenis in Acropoli reperta, in honorem Lolliani a concilio Areopagitarum posita. Postea sub Hadriano Herodes Atticus Athenis philosophiam docuit, de quo quum ex Philostrato tum aliunde nota omnia[32]. In marmoribus Oxonn.

31) Dodwell Tom. I, p. 410 refert hodie neque gymnasii Hadriani neque templi Junonis et Jovis Panhellenii ullum superesse vestigium.

32) Ap. Chandler, Inscr. ant. p. 57 legitur inscriptio in honorem ejus ab Antiochide tribu posita; et ap. Spon. Miscell. p. 321, alia in ejus honorem a Senatu populoque Megarensium posita.

plures exstant inscriptiones cum nominibus discipulorum et præceptorum variis titulis. Chandler, Inscript. Ant. p. 64 exhibet inscriptionem longam, Athenis prope forum repertam, quæ continet nomina et titulos eorum, qui juventuti erudiendæ præerant; occurrunt κοσμήτης τῶν ἐφήβων, παιδοτρίβης, ἀντικοσμήτης, σωφρονισταί, ὑποσωφρονισταί, γυμνασιάρχαι, et plures denominationes officiorum minorum. Adnotat Chandler in Syllabo et Not. ad hanc inscriptionem, ingentem fuisse sub Hadriano Athenarum ex gymnasiis vel scholis suis gloriam et magnum tum præceptorum tum discipulorum, gentilium atque Christianorum numerum. De literarum et artium ratione apud Athenienses serioribus inprimis temporibus, qualis esset in gymnasiis instituta, multa congessit Meursius in Fort. Athen. c. 8, non omissa Hadriani mentione[33].

Transeundum est ad res Hadriani per reliquas Græciæ urbes gestas. Beneficia in Spartam collata indicant numi et tituli postea afferendi, in quibus Spartani Hadrianum σωτῆρα, σωτῆρα Ὀλύμπιον, θειότατον prædicant. Similiter Æginetæ in inscriptione ap. Boeckh. I, p. 413 Hadrianum prædicant σωτῆρα καὶ εὐεργέτην. In numis Argolidis ap. Eckhel. Tom. IV, p. 348 Hadrianus κτίστης τῶν Ἀργείων vocatur. Certamina Antinoi Argis celebrata fuisse postea demonstrabimus. Mantineæ magnificum templum Antinoo ab Hadriano fuisse exstructum, divinos honores illi habitos, et annua initia atque certamina quinquennalia instituta, auctor est Pausan. VIII, p. 375. Idem p. 373 refert, Hadrianum Mantineensibus, qui urbis nomen in Antigoneiam mutassent, nomen pristinum restituisse; atque p. 377, eundem exstruxisse templum illud Neptuni Equestris, quod suo tempore apud Mantineenses esset, quum antiquum templum, cujus reliquias moveri vetuit Hadrianus, ædificasse dicerentur Agamedes et Trophonius. Epaminondæ sepulchro columnam cum epigrammate imposuit, teste Pausania p. 383. Inter numos urbis Patrarum Mionnet Tom. II, p. 194 habet unum Hadriani cum typo Jovis, sedentis in templo sex columnarum. Suspicor igitur vel Jovis templum ab Hadriano sive exstructum sive refectum indicari, quamquam nihil de ea re diserte veteres; vel esse ipsum Hadrianum Jovis specie. Ad honores Hadriano habitos respicere videtur numus Elidis ap. eundem p. 201 cum capite Hadriani laureato at aquila alis expansis coronam tenente. Vel enim hic typus ad ludos spectat, Eleis ab Hadriano exhibitos, vel significat coronam a Jove Hadriano offerri. Alium numum Elidis manifesto ad ludos spectantem p. 37 descripsimus.

33) De operibus Hadriani ap. Athenienses cfr. Clarke, travels in various countries p. 549 sqq.; Hobhouse, journey through Albania, vol. I, p. 321 sqq. Ap. Stuart. Antiquit. of Athen, hæc opera tabulis æneis incisa et copiose descripta apparent.

Pausan. II, c. 3 refert Hadrianum Corinthiis balneum exstruxisse, atque aquam ex Stymphalo in urbem derivasse; cfr eundem VIII, c. 22. Ex eodem I, c. 44, 10 patet Hadrianum Scironidem viam muniisse atque latiorem fecisse[34]. Ap. Tristan. Tom. I, p. 484 exhibetur numus Hadriani inscriptus: *Colonia Julia Corinthus,* cum arcu triumphali vel porta anteriore templi, supra quod conspicitur Hadrianus curru triumphali vectus, adstantibus tropæis. Mionnet Tom. II, p. 97 et eundem habet et similem cum templo in cacumine montis. Hi numi saltem gratum animum Corinthiorum testantur, et fortasse templum illud ad divinos Hadriani honores spectat. Megarensium inscriptionem, qua Hadrianum prædicant τὸν ἑαυτῶν κτίστην καὶ νομοθέτην καὶ τροφέα, p. 32

34) De hac via, hodie κακὴ σκάλα cfr. Pouqueville, 4, 59; Clarke, 2, 763.

descripsimus. Thespiensium urbs in inscriptione ap. Boeckh. I, p. 785 Hadrianum εὐεργέτην καὶ κτίστην prædicat. Pausania teste X, p. 285 templum Apollini exstruxit Abis et porticum Hyampoli sibi cognominem. Inscriptio urbis Coroneæ ap. Boeckh. I, p. 786 Hadrianum deum prædicat. Ad honores Hadriano ap. Delphos habitos spectat numus Delphorum ap. Mionnet. Tom. II, p. 97 cum protome Hadriani laureata et loricata, et corona laurea, intra quam Πύθια; et Boeckh. I, p. 742 habet inscriptionem Delphis a concilio Amphictyonum in honorem Hadriani positam. Amphipolitarum, Thasiorum, Perinthiorum, Sestiorum inscriptiones Hadriano Olympio positas describemus, ubi de Hadriano Olympio disseremus. Addamus denique inscriptionem ap. Boeckh. Tom. II, p. 151, Panticapæi ap. Bosporum repertam et anno 886 positam, qua Rex Rhoemetalces Hadrianum prædicat τὸν τῆς οἰκουμένης εὐεργέτην καὶ ἴδιον κτίστην. Huc denique pertinet Spartian. c. 19: "In omnibus pæne urbibus et aliquid ædificavit et ludos edidit"; et Dio Cass. p. 1158: ἐποίει καὶ θέατρα καὶ ἀγῶνας περιπορευόμενος τὰς πόλεις.

Urbes Asiæ aliarumque provinciarum Hadriani liberalitate ornatas et auctas, hoc loco tantummodo breviter tangemus. Sunt illæ præter eas, quæ Hadriani nomine adsumpto beneficia in se ab imperatore collata testantur, præcipue Abydus, Mitylene, Thyatira, Tralles, Miletus, Metropolis, Ephesus, Magnesia, Tamnus, Jasus, Mylasa, Ceramus, Camena, tota Bithynia, Sebastopolis, Laodicea, Synnada, Sagalassus, Seleucia, Anemurium, Pompeiopolis, Tyrus; quæ urbes vel Hadrianum Olympii nomine venerabantur vel ludos in ejus honorem agebant. De Alexandria Ægypti postea disputabimus.

Caput VII.

Clemens Biagius in Monumentis Græcis ex Museo Naniano p. 57 vulgavit aram inscriptam: Αὐτοκράτορι Τραιανῷ Ἀδριανῷ βασιλεῖ Ὀλυμπίῳ Διῒ Δωδωναίῳ, ad quam inscriptionem copiosum commentarium subjungit p. 57—87. Tempus adsumpti cognominis Olympii omnino incertum esse censet contra Harduinum et Khellium. Harduinus Opp. Selectt. p. 764 statuit, sed nullo nixus argumento probabili cognomen illud Hadriano impositum fuisse sub finem anni vicesimi, quo se imperio abdicaverit. Sed hanc opinionem Khellius (ad numism. imperat. Supplem. p. 72) recte somnium appellat, quum id, quod de Hadriani abdicatione imperii asseritur, probari nequeat. Khellius statuit numos Tarsensium, in quibus Hadrianus dicatur Olympius, conflatos esse decimo imperii anno, et hunc annum esse hujus cognominis epocham. Verum id ipsum sine ullo argumento. Nam nec in numis nec in inscriptionibus annus hujus apotheoseos affertur. Nobis autem nihil videtur verosimilius, quam cognomen Olympii Hadriano tributum fuisse tum quum Olympieum dedicaret. Fatetur Biagius obscurum esse cur Dodonæi cognomen Hadriano sit additum; suspicatur vero Græcos sapientiam ejus adeo admiratos fuisse, ut tamquam oraculum Jovis Dodonæi, quod apud ipsos erat celeberrimum, laudibus extollerent. Huc pertinet cognomen βουλαίου in inscriptione Abeatarum, quam p. 36 posuimus. Annotat Biagius, Hadrianum in numo ap. Vaillant. Numismat. Imp. Rom. Tom. II, p. 144 sub effigie Martis repræsentari, atque in ædibus Capitolinis asservari statuam Hadriani e Pario marmore, effigiei illi omnino similem.

Jam vero colligenda sunt monumenta, ut appareat a quibus urbibus Hadrianus Olympius vel deus sit vo-

catus. Pausanias I, c. 18 refert et Colonias et Græcas urbes in templo Hadriani, quod Olympieo additum erat, statuas illi posuisse. Ex inscriptionibus coloniarum, in his statuis positis, una tantummodo restat in ecclesia St. Nicolai Athenis, ap. Boeckh. I, p. 412: *Imp. Cæs. Divi Trajan. Pathic. Fil. Divi Nervæ nepoti, Trajano Hadriano Aug. Trib. Pot. XVI, Cos. III, P. P. Olympio Colonia Julia Augusta. .... densium per Legatum C. Memmium Lycum.* Sed inscriptiones in statuis Græcarum urbium positæ multæ supersunt, in quibus Olympius vocetur. In nonnullis deest nomen urbis, quæ posuit; has primum recenseamus. Inscriptio ap. Boeckh. I, p. 416, Athenis: Αὐτοκράτορα Τραιανὸν Ἀδριανὸν Ὀλύμπιον οἱ πρῶτοι θεηκόλοι (sacerdotes primarii, incertum cujus urbis). Ap. Chandler. Inscript. Ant. p. 58 leguntur quatuor inscriptiones fere similes, Athenis repertæ, sine nominibus eorum, qui posuerunt: Σωτῆρι καὶ κτίστῃ αὐτοκράτορι Ἀδριανῷ Ὀλυμπίῳ[1]. Ap. Boeckh. I, p. 411 sq. decem tales. Osannus p. 204 duas habet inscriptiones in Asia minore repertas, alteram: Αὐτοκράτορι Καίσαρι Τραιανῷ Ἀδριανῷ Σεβαστῷ, πατρὶ πατρίδος, Ὀλυμπίῳ, σωτῆρι τοῦ κόσμου ταύτης ἐπὶ βάσεως ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος; alteram: Ἀδριανῷ αὐτοκράτορι ... Ὀλυμπίῳ, σωτῆρι τῆς οἰκουμένης ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος. Inscriptio ap. eundem eadem p., valde mutila, Athenis reperta, continet precationem vel gratulationem pro salute Hadriani, sed in verbis illis, quæ legi possunt, non exstat denominatio Olympii. Caylus, Rec. Tom. I, Tab. 20, exhibet aram Spartæ detectam, inscriptam: Αὐτοκράτορος Ἀδριανοῦ Καίσαρος σωτῆρος, quam aram in honorem Hadriani adhuc vivi erectam esse statuit, laudans duas inscriptiones a Fourmontio Spartæ detectas, quibus Ha-

[1]) Mirum quod annotat Chandler, Athenienses fortasse, quod essent Christianis inimici, Hadrianum σωτῆρα suum agnovisse.

drianus vocetur θειότατος. Boeckh. I, p. 644 habet quatuor inscriptiones similes illi ap. Caylum, et quintam Διὸς σωτῆρος Ὀλυμπίου, haud dubie Hadriani Olympii. Numus Lacedæmoniorum ap. Mionnet. Tom. II, p. 223 cum protome Hadriani laureata et Dioscuris equitantibus, videtur ad itinera Hadriani respicere, quamquam cæterum typus Dioscurorum in numis Lacedæmoniorum satis vulgaris est. Æginetarum inscriptionem Athenis repertam exhibet Boeckh. I, p. 413: Αὐτοκράτορα Καίσαρα Τραϊανὸν Ἀδριανὸν Σεβαστὸν Ὀλύμπιον καὶ ἀρχηγέτην ἡ πόλις τῶν Αἰγινητῶν, τὸν ἑαυτῆς σωτῆρα καὶ εὐεργέτην. Divinos honores apud Corinthios, Patrenses, Eleos universos Hadriano habitos esse, p. 67 diximus. Inscriptionem Megarensium p. 32 descripsimus. Inscriptionem Pallensium Cephaleniæ in Olympieo positam exhibet Boeckh. I, p. 415: αὐτοκράτορα ... Ἀδριανὸν Σεβαστὸν Ὀλύμπιον πόλις Παλέων τῆς Κεφαληνίας ἐλευθέρα καὶ αὐτόνομος. Idem I, p. 786 habet inscriptionem Coroneæ repertam: Θεὸν Ἀδριανὸν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος. Inscriptionem Thasiorum p. 30 descripsimus. Sacerdotem illum Boeckhius intelligit sacerdotem Olympiei, Jovis et Hadriani; Osannus, Sylloge Inscript. p. 307, solius Hadriani. Boeckh. I, p. 413 exhibet inscriptionem in Olympieo a Senatu populoque Amphipolitarum Hadriano Olympio positam; et p. 315 duas similes Sestiorum et Abydenorum, nisi quod additus σωτῆρι καὶ κτίστῃ. Idem II, p. 67 exhibet inscriptionem Perinthi sive Heracleæ Thraciæ repertam: Και. Ὀλυμπίῳ ἐλευθερίῳ καὶ Σαβείνῃ Σεβαστῇ, et p. 66 aliam in honorem Hadriani solius. Idem I, p. 416 dat inscriptionem ab hominibus privatis, Theræis, Hadriano Olympio Athenis positam. Mitylenæorum inscriptionem p. 29 descripsimus. Chandler, Inscript. Ant. p. 57, et Boeckh. I, p. 413 exhibent inscriptionem in Olympieo repertam: Αὐτοκράτορα Καίσαρα Ἀδριανὸν Σεβαστὸν Ὀλύμπιον ἡ μητρόπολις τῆς Ἀσίας καὶ δὶς νεωκόρος Μι-

λησίων πόλις τὸν ἴδιον κτίστην. Sed quum nomen Milesiorum a Chandlero ex ingenio additum sit in inscriptione lacera, atque Milesiorum statuam aliam fuisse pateat, Boeckh. mavult hanc inscriptionem vel a Smyrnæis vel ab Ephesiis positam esse. Et Smyrnæis et Ephesiis secundum neocoratum contigisse, patebit ex iis quæ sequentur. Inscriptionem statuæ Milesiorum Boeckh. exhibet I, p. 414, iisdem fere verbis conceptam. Præterea Chandler p. 16 exhibet inscriptionem Mileti in basi statuæ repertam: Αὐτοκράτορι Καίσαρι Ἀδριανῷ Σεβαστῷ Ὀλυμπίῳ, σωτῆρι καὶ εὐεργέτῃ; atque Boeckh. II, p. 558 aliam Mileti: Ἀρτέμιδι Πυθίῃ καὶ αὐτοκράτορι Καίσαρι Σεβαστῷ Ὀλυμπίῳ, σωτῆρι οἰκιστῇ. Et eadem p. idem similem habet Apollini Didymæo[2] et Hadriano Olympio Mileti positam. Idem II, p. 626 habet inscriptionem Metropoli Lydiæ repertam: Ἀγαθῇ τύχῃ. αὐτοκράτορι Καίσαρι Τραϊανῷ Ἀδριανῷ, Διῒ Ὀλυμπίῳ καὶ κτίστῃ. Idem II, p. 604 habet inscriptionem Dianæ Ephesiæ et Hadriano Olympio Ephesi positam, et eadem p. aliam qua sacerdotes Dianæ statuam Hadriano, non tamen addito Olympii cognomine, posuisse se significant; tum p. 605 aliam a Senatu Ephesiorum Hadriano et Sabinæ positam, et duas quibus Senatus populusque Ephesiorum Sabinam consecrant. In altera earum ὁ νεωκόρος δὶς δῆμος, in altera nihil nisi ὁ νεωκόρος δῆμος. Tum Murator. p. 234 habet inscriptionem qua Senatus populusque Ephesiorum Hadrianum consecrant. Vaillant. Num. Imp. Græc. p. 34 habet numum Ephesiorum cum

[2]) De Apolline Didymæo et oraculo Branchidarum vide Herod. I, 46; Strab. XIV, p. 634; Schol. Aristoph. Lysistr. 1283; Pausan. VIII, 16; Suet. Calig. c. 21; Plin. H. N. V, 31. Ludi Μείλητον Διδύμεια vel μεγάλα Διδύμεια, in Marm. Oxonn. p. 70; ap. Eckhel. p. 533 in numis Joniæ; tum ap. Boeckh. II, p. 563, 564, 566.

capp. Hadriani et Lucii Ælii, inscriptum: Αὐτοκρ. Καῖσαρ Ἀδριανὸς Ὀλύμπιος. Λεύκιος Αἴλιος Καῖσαρ; in av. Ἐφεσίων δὶς νεωκόρων. Similem habet Spanh. II, p. 498. Eckhel. p. 514 in numis Joniæ annotat, Hadrianum in numis Ephesiorum vocari Olympium. Mionnet III, p. 96 sex tales habet. In tribus eorum secundus neocoratus tunc primum occurrit; in uno sunt duo templa. Tria templa, quæ in numo Antonini ap. eundem p. 99 occurrunt cum statua Dianæ in medio templo et in singulis reliquis una figura stante, suspicor esse templa Dianæ, Hadriani et Sabinæ. Hadrianum et Sabinam ab Ephesiis consecratos fuisse supra docuimus. Harduin. Opp. Selectt. p. 764 habet numum Temnitarum in Æolide, similem illi quem ex Vaillantio nuper descripsimus, inscriptum detrito Hadriani nomine: .... Ὀλύμπιος. Λ. Αἴλιος Καῖσαρ. Numus Magnesiæ Joniæ ap. Mionnet. III, p. 148, inscriptus Ἀδριανὸν Σεβαστὸν. Σαβεῖναν Σεβαστὴν, consecrationem Hadriani et Sabinæ testatur. Beneficia ab Hadriano accepta testatur inscriptio ap. Boeckh. II, p. 580: Μάγνητες οἱ πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ ... δωρεῶν ἐξαιρέτων τυχόντες ὑπὸ Τραιανοῦ Ἀδριανοῦ. Similiter Jasus Cariæ ap. Mionnet. III, p. 353 habet numum inscriptum in antica: Αὐτοκράτορα Τραϊανὸν Ἀδριανὸν, in av. Ζεὺς Ἄρειος, cum capite Hadriani laureato et in altera parte Jove Martiali galeato, stante, jaculum tenente. Idem p. 356 exhibet numum Mylasorum inscriptum Αὐτοκράτορα Ἀδριανὸν cum capite Hadriani laureato et capite Jovis Labradæi. Quod sæpe in numis urbium, inprimis Asiæ, in antica Hadrianus laureatus, in aversa Jupiter exhibentur, id videtur ad Hadrianum Olympium pertinere. Ceramus, urbs Cariæ in Olympieo posuit inscriptionem, ap. Boeckh. I, p. 414, qua Hadrianum deum pronuntiat: Θεὸν Ἀδριανὸν τὸν ἴδιον εὐεργέτην Κεραμιητῶν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος.

De Smyrna haud pauca supersunt testimonia. Inscriptio ap. Wheler. p. 232 (Murat. p. 235; Marm. Oxonn. No. 168) ab ipso inter parietinas Smyrnæ detecta: Αὐτοκράτορι Ἀδριανῷ Ὀλυμπίῳ σωτῆρι καὶ κτίστῃ. Marmora Oxonn. p. 78 in inscriptione Smyrnæorum: ὑμνῳδὸς θεοῦ Ἀδριανοῦ et συνυμνῳδοὶ θεοῦ Ἀδριανοῦ. In numis Smyrnæ imperatoriis sub Hadriano ap. Mionnet. III, p. 227 sqq. sæpe in antica Hadrianus, in aversa Jupiter; tum epigraphe Σμυρναίων νεωκόρων cum duobus templis; unus denique Hadriani numus inscriptus: Πολέμων στρατηγῶν ἀνέθηκε, et unus Sabinæ: Πολέμων ἀνέθηκε. Huc pertinet Philostratus in vita Polemonis p. 531: Ἀδριανὸν γοῦν προσκείμενον τοῖς Ἐφεσίοις οὕτω τι μετεποίησε τοῖς Σμυρναίοις, ὡς ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ χιλίας μυριάδας ἐπαντλῆσαι αὐτὸν τῇ πόλει, ἀφ' ὧν τά τε τοῦ σίτου ἐμπόρια ἐξεποιήθη, καὶ γυμνάσιον τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν μεγαλοπρεπέστατον, καὶ νεὼς τηλεφανής, ὁ ἐπὶ τῆς ἄκρας, ἀντικεῖσθαι δοκῶν τῷ Μίμαντι. Templum illud Olearius ad h. l. Hadriano ipsi sacratum fuisse putat. De eo cfr. Aristid. Or. de Smyrn. p. 296. Gymnasium illud ex Hadriano cognominatum fuisse docet locus Aristidis, Sacror. Serm. Tom. I, p. 491: ἐδόκουν ἐν τῷ Ἀδριανείῳ ἐχρίσθαι μέν, λελοῦσθαι δ' οὔ. Huc pertinet inscriptio Smyrnæorum in Marmor. Oxonn. p. 78: .... καὶ ὅσα ἐπετύχομεν διὰ τοῦ κυρίου Καίσαρος Ἀδριανοῦ δι' Ἀντωνίου Πολέμωνος, δεύτερον δόγμα συγκλήτου, καθ' ὃ δὶς νεωκόροι γεγόναμεν, ἀγῶνα ἱερὸν, ἀτέλειαν, θεολόγους, ὑμνῳδοὺς μυριάδας ἑκατὸν πεντήκοντα, κίονας εἰς τὸ ἀλειπτήριον Συνναδίους ωβ', Νουμεδικοὺς κ', πορφυρείτας στ'. κατεσκευάσθη δὲ καὶ ἡλιοκάμεινος ἐν τῷ γυμνασίῳ ὑπὸ Σέξτου ἀρχιερέως. Ad quam inscriptionem cfr. Selden.

Cyzicenorum haud pauciora sunt monumenta. Boeckh. I, p. 414 habet inscriptionem Cyzicenorum Athenis repertam: Ἀδριανὸν Ὀλύμπιον Κυζικηνοί, atque Socrates, Hist. Ecclesiast. III, c. 19, laudatus ap. Tristan. I, p. 453 refert Cyzicenos vocasse Hadrianum τρισκαιδέκατον θεόν. Templum, quod Cyzici Hadriano exstructum fuit, Dio Cass. p. 1173 vocat ναὸν μέγιστον καὶ κάλλιστον ναῶν ἁπάντων, ᾧ τετραόργυιοι μὲν πάχος οἱ κίονες ἦσαν, ὕψος δὲ πεντήκοντα πήχεων, ἕκαστος πέτρας μιᾶς. Conditum est juxta Chronicon Paschale anno 876. Hoc templum commemorare videtur primum fragmentum Fastorum Cyzicenorum ap. Cayl. Rec. II, p. 66: τῆς Ἀσίας ναὸς ὁ ἐν Κυζίκῳ. Idem p. 270 observat hoc templum octostylon apparere in duobus numis Antonini Pii. Huc pertinet locus Malalæ l. XI, p. 279 Bonn.: Ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ αὐτοῦ θειοτάτου Ἀδριανοῦ ἔπαθεν ὑπὸ θεομηνίας σεισμοῦ ἡ Κύζικος. .... καὶ πολλὰ τῇ αὐτῇ πόλει ἐχαρίσατο καὶ ἀνήγειρεν αὐτήν, καὶ τοῖς ὑπολειφθεῖσι πολίταις ἐχαρίσατο χρήματα καὶ ἀξίας (dignitates, honores). Ἔκτισε δὲ ὁ αὐτὸς Ἀδριανὸς ἐν τῇ αὐτῇ Κυζίκῳ ναὸν μέγαν πάνυ, ἕνα ὄντα τῶν θαυμάτων, στήσας ἑαυτῷ στήλην μαρμαρίνην στηθαρίου μεγάλου πάνυ (magni, moduli, statuam colosseam) ἐκεῖ εἰς τὴν ὀροφὴν τοῦ ναοῦ, ἐν ᾧ ἐπιγράφει: Θείου Ἀδριανοῦ. ὅπερ ἐστὶν ἕως τῆς νῦν. Templum illud Cyzicenum describit Aristides Tom. I, p. 422. De eo Byzantinus aliquis poeta in Anthol. Græc. vol. IV, p. 104 Jacobs: μηδὲ τανυπλεύροισιν ἀρηρότα, Κύζικε, πέτροις Ἀδριανοῦ βασιλῆος ἀμεμφέα νηὸν ἀείσῃς[3]. Quum in numis autonomis Cyzici unus occurrat ap. Mionn. II, p. 533 cum capite Trajani inscriptus Κυζικηνῶν νεωκόρων, et postea sequantur plures inscripti Κυζικηνῶν β' vel δὶς νεωκόρων, cum typo vel duorum vel unius templi, jure suspicamur, hoc esse templum illud Hadriani, sub quo secundum, non ut Eckhelio p. 491 placet, primum

---

[3]) Lampridius in Alexandro c. 43 refert Hadrianum Christo templum facere cogitasse, qui in omnibus civitatibus templa sine simulacris jussisset fieri, *"quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani."*

neocoratum obtinuit. In numis imperatoriis hujus urbis non nisi unus neocoratus nominatur inde ab Antonino Pio usque ad Claudium Gothicum. Verum haud raro fit, ut urbs quædam primum plures neocoratus commemoret, postea non nisi unum, saltem minorem numerum. Ita in numis Ephesi sub Trajano Decio occurrit quartus neocoratus, sub Valeriano Seniore modo tertius, in uno tamen quartus, in uno simpliciter neocoratus nullo numero addito; porro sub Gallieno tertius neocoratus, in nonnullis quartus, in uno neocoratus simpliciter sine numero. Atque postea quoque in numis hujus urbis jam major jam minor est numerus neocoratuum, vide Mionnet. III, p. 120 sqq. Et jam ante in numis Heliogabali Ephesii prædicant se solos omnium quater neocoros, verum postea in numis Maximini, Maximi, Gordiani Pii, Philippi Senioris, Otaciliæ, Philippi Junioris, modo tertius neocoratus nominatur. Constat ex Harduin. Opp. Selectt. p. 3 appellationem neocororum his temporibus translatam fuisse ad eas civitates, quæ intra moenia sua vel fanum numini majestatique Augustorum erexissent vel sacra totius provinciæ communia apud se facerent. In numis Cyzici ap. Mionnet. p. 539 unus est inscriptus Ἀδριανὸς Ὀλύμπιος cum typo aræ. Neque omittendi videntur duo numi hujus urbis ap. Mionnet. p. 538, inscripti: Αὐτοκρα. Καίσαρα Τραΐαν. Ἀδριανόν. Nam ad accusativum illum intelligendum esse ἀνέθηκε vel καθιέρωσε τὸ κοινὸν τῶν Κυζικηνῶν, notius est quam ut opus sit commemorari. In uno numo hujus urbis ap. eundem typus est Hercules, quod videtur eodem sensu esse accipiendum, atque ubi Hadrianus in numis vocatur Hercules Gaditanus vel Hercules Romanus.

Ex reliquis Mysiæ et Bithyniæ urbibus non desunt testimonia, quamquam non tanto numero inveniuntur. De Abydenis diximus. Camena Mysiæ ap. Mionnet. II,

p. 525 unum numum habet inscriptum Ἀδριανὸς Και. Ὀλύμπιος. Idem II, p. 468 habet numum Nicomedensium Bithyniæ cum capite Hadriani laureato, inscriptum omisso Hadriani nomine: θεὸς Ολύμπιος. Ap. Eckhel. p. 403 in numis Bithyniæ et ap. Mionnet. II, p. 409 multi numi Hadriani a communi conventu totius Bithyniæ cusi recensentur cum typo templi, quod nonnulli de templo Hadriani explicant. Id quod confirmatur inscriptione ap. Pocock. p. 30 prope Nicæam reperta: Αὐτοκράτορα Καίσαρα Τραϊανὸν Ἀδριανὸν Σεβαστὸν Μ. Οὔλπιος ὁ δὶς ἱερεὺς αὐτοῦ. Ex Ponto et Phrygia non nisi paucissima sunt testimonia. Boeckh. I, p. 415 exhibet inscriptionem Sebastopolitarum in Olympieo positam: Αὐτοκράτορα Καίσαρα Τραϊανὸν Ἀδριανὸν Σεβαστὸν Ὀλύμπιον Σεβαστοπολειτῶν τῶν ἐν Πόντῳ ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος, τὸν ἑαυτῶν εὐεργέτην, ἐν τῇ πρώτῃ ὀλυμπιάδι. Spanh. II, p. 498 habet numum Laodicensium Phrygiæ elegantissimum cum effigie Jovis Philalethis et capite Hadriani laureato, inscriptum Καῖσαρ Ἀδριανὸς Ὀλύμπιος. Alium ait se in Juliani Imp. Cæsarr. divulgasse cum capp. Hadriani et L. Ælii Cæsaris inscriptum: Αὐτοκράτωρ Ἀδριανὸς Ὀλύμπιος. Λεύκιος Αἴλιος. Duos priori horum omnino similes habet Mionnet III, p. 322.

Ex Pisidiæ et Ciliciæ urbibus frequentiora sunt testimonia. Mionnet III, p. 512 habet numum Sagalassi Pisidiæ, in quo Hadrianus Olympius vocatur. Idem in numis Seleuciæ ad Calycadnum III, p. 600 affert numum cum capp. Hadriani et Sabinæ cum attributis Apollinis et Dianæ. Inscriptionem urbis Anemurii Ciliciæ p. 9 breviter commemoratum, Boeckhius I, p. 413 sic exhibet: Αὐτοκράτορα Καίσαρα Τραϊανὸν Ἀδριανὸν Σεβαστὸν Ὀλύμπιον, πατέρα πατρίδος, τὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου Ἀνεμουριέων] τῆς Κιλικίας ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος. Eckhel. p. 74 in numis Ciliciæ habet numum Tarsi, in quo Hadrianus Olympius vocatur; et ap. Mionnet. Tom. III, p. 626

numus hujus urbis sub Antonino, inscriptus κοινὸν Κιλικίας, habet templum decastylon, quod videtur esse templum in Hadriani honorem erectum. In sequentium imperatorum numis sæpius occurrit idem templum. Ludos Olympios hic habitos esse patebit ex iis quæ postea afferentur. Ultimo loco ponimus inscriptionem Pompeiopolitarum, ap. Boeckh. I, p. 415, in Olympieo: Αὐτοκράτορα Καίσαρα, θεοῦ Τραϊανοῦ Παρθικοῦ υἱὸν, θεοῦ Νερούα υἱωνὸν, Τραϊανὸν Ἀδριανὸν Σεβαστὸν, πατέρα πατρίδος, Πομπηϊοπολιτῶν τῆς Κιλικίας ἡ πόλις. Quamquam enim Olympii nomen omissum est, tamen quum hæc inscriptio in Olympieo posita sit, et iisdem fere verbis concepta quibus reliquæ, in quibus Olympius vocatur, non dubito eam huc referre. Divinos honores Hadriano in hac urbe habitos innuere videntur tres numi hujus urbis sub Hadriano ap. Mionnet. III, p. 538 cum typo aræ et cum typo tripodis, inscripti K. K. i. e. κοινὸν Κιλικίας. De divinis Hadriani honoribus apud Ægyptios postea disputabimus.

Caput VIII.

Dedicato Olympico certamina Hadriania Panhellenia Olympia passim, a Græcis inprimis, instituta sunt. Dio Cass. p. 1164: Ἀδριανὸς τό τε Ὀλύμπιον τὸ ἐν ταῖς Ἀθήναις, ἐν ᾧ καὶ αὐτὸς ἵδρυται, ἐξεποίησε .... τόν τε σηκὸν τὸν ἑαυτοῦ τὸ Πανελλήνιον ὠνομασμένον οἰκοδομήσασθαι τοῖς Ἕλλησιν ἐπέτρεψε, καὶ ἀγῶνα ἐπ' αὐτῷ κατεστήσατο. In inscriptione urbis Gortyniorum ap. Boeckh. I, p. 844, Delphis reperta, commemorantur Ἀδριάνεια, nomine urbis in qua edita sunt detrito. Athenis acta fuisse hæc certamina testatur marmor ap.

Gruterum p. 316, quod in uno quatuor urbium inscriptum est Ὀλύμπια ἐν Ἀθήναις ἀνδρῶν πάλην; tum inscriptio Farnesiana Hermodori ap. eundem p. 314: Παναθήναια Ὀλύμπια Πανελλήνια Ἀδριάνια; quem locum Seldenus ad Marmora Oxonn. p. 149 sqq. ita intellectum vult, ut quot vocabula sint, tot sint certamina; alii vero, quos nos sequimur, statuunt quatuor hæc vocabula unum agonem significare adeoque ipsa tantum Hadrianalia Olympia ab omnibus Græcis Athenis celebrata. Inscriptio ap. Osann. Sectio II, p. 305, repetita a Boeckh. I, p. 392, a Fourmontio Athenis reperta, valde mutila, l. 10 exhibet Ἀδριάνεια. Id quod de Hadrianiis certaminibus apud Athenienses habitis intelligendum esse, ex tota orationis serie et ex eo loco quo reperta est inscriptio, patet. Idem valet de inscriptione ap. Boeckh. I, p. 362, Athenis in gymnasio reperta:

Κοσμητεύοντος Πλουτάρχου Ἀχαρνέως,
Στῆσεν Ἀχώριστος στήλην μεγακύδεσιν ἀστοῖς,
Πατρὸς τ' οὔνομ' ἔχων δημόθεν Εὐρυπίδης,
Ἐκπρεπέως ἀέθλοισιν ἐπασκήσας καὶ ἐφήβοις,
Καὶ στεφάνου κῦδος μοῦνος ἐνεγκάμενος.
Ἀγωνοθετήσας Ἀδριανείων. Infra: Σεβήρεια.
Ἀντωνίνεια. Αντινόεια. Κομμόδεια.

Idem I, p. 564 habet inscriptionem Megaris repertam, in qua inter alios ludos commemorantur Ὀλύμπια ἐν Ἀθήναις et Εὐσέβεια ἐν Ποτιόλοις[1], et κοινὰ

[1]) Apud Puteolos Antoninus Pius Hadriani memoriæ sacravit quinquennale certamen et flamines et sodales, et multa alia quæ ad honorem quasi numinis pertinerent, teste Spartiano in Vita Hadr. c. extremo. Illud certamen in inscriptione Hermodori Farnesiana ap. Gruter. p. 314 dicitur Εὐβέσεια ἐν Ποτιόλοις, sive Pialia. Huc fortasse pertinet inscriptio ap. eundem p. 1105: ἀγὼν ἐν Ποτιόλοις. In inscriptione Delphis reperta ap. Boeckh. I, p. 845, a Nicomedensibus Bithyniæ in honorem Titi Ælii

'Ασίας[2] ἐν Φιλαδελφείᾳ, præterea Πανελλήνια ἐν 'Αθήναις, quæ ab Hadriano instituta sunt et in inscriptione M. Tullii Apamensis, quam mox describemus, commemorantur. Idem in inscriptione illa Titi Ælii Aurelii Theodoti, quam in nota subjecta commemoravimus, habet: ἐν Σμύρνῃ Κομμόδεια καί Ολύμπια, καὶ ἐν 'Αθήναις 'Αδριάνεια. Præterea in inscriptione C. Ant. Septimii Publii Citharoedi in Marm. Oxonn. p. 70, atque in inscriptione M. Aurelii Cori ap. Caylum Tom. II, tab. 63 commemorantur 'Αθῆνας 'Αδριάνεια.

Romæ acta fuisse hæc certamina patet ex inscriptione ap. Boechh. I, p. 361, Athenis reperta, quam in nota 1 p. 79 jam commemoravimus: Μάρκος Τύλλιος 'Απαμεὺς τῆς Βιθυνίας, 'Αθηναῖος, Κυρίνθιος, Σμυρναῖος, μόνος καὶ πρῶτος τῶν ἀπ' αἰῶνος πυκτῶν νικήσας κατὰ τὸ ἑξῆς Πανελλήνια, 'Ολύμπια, "Ισθμια, 'Αδριάνεια 'Ρώμῃ. Tum commemoratis duobus ludis ad Hadrianum non pertinentibus sequitur: Πανελλήνια δὶς 'Αθήνας, Νέαν πόλιν δὶς Εὐσέβεια, Παναθήναια, Σμύρναν κοινὸν 'Ασίας .... "Εφεσον. Ad quem locum Boeckhius, quum multi ludi Ephesi celebrarentur, scire se negat, quinam sint intelligendi, neque ego scio; attamen quum pleraque certamina hoc titulo commemorata ad Hadrianum spectent, atque Hadriania Olympia inter alios ludos Ephesi celebrata sint,

---

Aurelii Theodoti posita, commemorantur Ποτιόλους Εὐσέβεια. Artemidor. Onirocr. l. I, c. 28 commemorat Εὐσέβεια τὰ ἐν 'Ιταλίᾳ ἀχθέντα ὑπὸ βασιλέως 'Αντωνίνου ἐπὶ τῷ πατρὶ 'Αδριανῷ. Atque non Puteolis solum sed etiam in aliis Italiæ urbibus hæc certamina celebrata fuisse, apparet ex inscriptione M. Tullii Apamensis ap. Boeckh. I, p. 361, in qua legitur: Νέαν πόλιν δὶς Εὐσέβεια. Flamen Hadriani occurrit in tribus inscriptionibus ap. Orell. I, p. 380; II, p. 179 et 212. Sodalis Hadrianalis ap. eundem I, p. 212, p. 414, p. 471.

[2]) De his ludis postea disseremus adversus finem disputationis de lud's in Hadriani honorem institutis.

ut postea docebitur, non omnino improbabilis est conjectura si quis ad "Εφεσον vocem 'Αδριάνεια addendam esse suspicetur. Sed nihil affirmo. Huc pertinet inscriptio Caii Antist. Septimii Publii Citharoedi in Marm. Oxonn. p. 70, cujus mentionem jam fecimus. Is dicitur vicisse Σμύρναν 'Ολύμπια 'Αδριάνια[3], 'Ρώμην β', Ποτιόλους β', Νέαν πόλιν γ', ... "Εφεσον 'Αδριάνεια .... 'Αθήνας 'Αδριάνεια. De Olympiis Hadrianiis Smyrnæorum postea disputabimus. Sed testatur præterea hæc inscriptio, non solum Romæ, Athenis, Ephesi, sed etiam Puteolis et Neapoli celebrata fuisse Hadriania Olympia, nisi forte suspicatur aliquis, hos ludos eosdem esse quos Pialium nomine Puteolis et Neapoli celebratos fuisse nuper docuimus. Ludos illos Ephesi celebratos præterea testatur inscriptio Hermodori p. 79 commemorata, ubi est "Εφεσον γ' 'Αδριάνεια 'Ολύμπια; et inscriptio ap. Boeckh. II, p. 526, Aphrodisiade Cariæ reperta, in qua l. 17: 'Αδριάνεια 'Ολύμπια ἐν 'Εφέσῳ. Inter numos qui ad ludos spectant Eckhel. Tom. IV, p. 429 commemorat Hadriani, inscriptum κοινὸν 'Εφεσίων.

Reliquum est ut de Hadrianiis Smyrnæorum et Cyzicenorum disputemus. Prius tamen urbes quasdam minus memorabiles commemorabimus, in quibus hos ludos actos fuisse vel constat vel verosimile est. In marmore Cyziceno de victoriis M. Aurelii Cari, cujus mentionem jam fecimus, inter ludos in Hadriani honorem celebratos commemorantur Τράλλεις 'Ολύμπια παίδων παγκράτιον. In numo Trallium autonomo ap. Mionnet. IV, p. 181 repræsentatur mensa cum corona, in qua legitur 'Ολύμπια. Idem p. 190 exhibet numum hujus urbis sub Heliogabalo inscriptum: 'Ολύμπια. Αὐγούστεια. Πύθια, cum tribus coronis, id quod documento est, tria diversa

---

[3]) Notam numeralem, quam Selden ad h. l. intelligere se negat, omisimus.

ludorum genera significari. Similiter in numo Tranquillinæ p. 192 duæ coronæ in mensa, ex altera parte Πύθια, ex altera Ὀλύμπια; et in numo Valeriani Senioris Πύθια. Ὀλύμπια, et duæ coronæ. Beneficia ab Hadriano in Trallianos collata testatur numus ap. eundem p. 184 inscriptus: Και. Τρα. Ἀδριανὸς κτίστης. Eadem fere ratione Thyatira Lydiæ, Synnada Phrygiæ, Tarsus Ciliciæ, et fortasse Tyrus Phoeniciæ ludos in Hadriani honorem actos testantur. Inter numos Thyatirorum Mionnet. IV, p. 175 affert duos Valeriani Senioris huc pertinentes. Prior inscriptus est: Ἐπὶ .... Ἀρτεμιδώρου Θυατειρηνῶν. Αὐγούστεια. Ἀδριανὰ Ὀλύμπια. Typus est mensa cum duabus urnis et palmis, sub mensa aliæ urnæ et corona. Alter inscriptus est: Ἐπὶ Σ. Ὀκτ. Ἀρτεμιδώρου Θυατειρηνῶν. Αὐγούστεια Πύθια. Ἀδριανὰ Ὀλύμπια; typus duæ urnæ cum palmis in mensa; sub mensa diota et duo vasa minora sine ansis. In numo autonomo hujus urbis p. 152 repræsentatur aquila expansis alis coronam rostro tenens. Mirum quod ludorum in hac urbe in honorem Hadriani institutorum non ante Valerianum Seniorem diserta fit in numis mentio, si unum exceperis Alexandri Severi ap. eundem p. 173, inscriptum: Ἐπὶ στρ. .... Ἀρτεμαγόρου Θυατειρηνῶν. ἱερεία. ἀγὼν Ὀλύμπ. ...., cum typo duarum urnarum cum palmis in mensa. Sed tamen haud raro occurrunt coronæ vel palmæ rami, ut p. 163 in numo Juliæ Domnæ, p. 164 in numo Caracallæ, p. 166 in numo Getæ, p. 169 in quatuor numis Heliogabali, p. 173 in uno Alexandri Severi. Atque coronas et palmas ludorum fuisse symbola jam diximus. Urbs Synnadorum Phrygiæ ap. Mionnet. IV, p. 367 habet numum autonomum inscriptum Ἀδριάνια Παναθήναια. Typus est urna ludorum cum palma. Tarsus Ciliciæ ap. eundem III, p. 630 habet numum Septimii Severi, inscriptum Ὀλύμπια cum typo urnæ, et p. 635 numum Caracallæ cum corona, intra

quam Ὀλύμπια. Typi ad ludos spectantes, sed nomine ludorum non inscripto, sæpius in numis hujus urbis inveniuntur. Etiam numus Tyri sub Heliogabalo cusus ap. Mionnet. V, p. 435 habet typos ludorum cum inscriptione Ἡράκλια Ὀλύμπια, id quod tamen ad Hadrianum non nisi dubitanter retraho. Sed de Thyatiris, Trallibus, Tarso, Synnadis non dubito. Olympia, quæ in numis harum urbium commemorantur, non sunt vetera Jovis Olympii, sed nova Hadriani, si vel Hadriani nomen omissum est. Nam vetera Olympia Jovis, quæ quidem per Asiam celebrarentur, non alibi quam Smyrnæ celebrata esse, colligitur ex loco Pausan. l. 6, p. 177 Fac. Totum locum apponam: τὸ ἐν Ὀλυμπίᾳ τοῦ Ῥοδίου παλαιστοῦ (Ὕλλου) τόλμημα Ἀρτεμίδωρος γένος Τραλλιανὸς ὑπερεβάλετο κατὰ ἐμὴν δόξαν. Ἀρτεμιδώρῳ γὰρ ἁμαρτεῖν μὲν Ὀλύμπίων συνέβη παγκρατιάζοντι ἐν παισίν. αἰτία δὲ οἱ ἐγένετο τῆς διαμαρτίας τὸ ἄγαν νέον. ὡς δὲ ἀφίκετο ἀγῶνος καιρὸς, ὃν Σμυρναῖοι Ἰώνων ἄγουσιν, ἐς τοσοῦτο ἄρα αὐτῷ τὰ τῆς ῥώμης ἐπηύξητο, ὡς κρατῆσαι παγκρατιάζοντα ἐπὶ ἡμέρας τῆς αὐτῆς τούς τε ἐξ Ὀλυμπίας ἀνταγωνιστὰς, καὶ ἐπὶ τοῖς παισὶν, οὓς ἀγενείους καλοῦσι, καὶ τρίτα δὴ ὅτι ἄριστον ἦν τῶν ἀνδρῶν (viros fortissimos quosque). γενέσθαι δὲ οἱ τὴν ἅμιλλαν πρὸς ἀγενείους τε καὶ ἄνδρας, τὴν μὲν ἐκ γυμναστοῦ παρακλήσεώς φασι, τὴν δὲ ἐξ ἀνδρὸς παγκρατιαστοῦ λοιδορίας. ἀνείλετο δὲ ἐν ἀνδράσιν ὁ Ἀρτεμίδωρος Ὀλυμπικὴν νίκην δευτέρᾳ καὶ δεκάτῃ πρὸς διακοσίαις Ὀλυμπιάδι. Patet totius loci hanc esse sententiam, ut Pausanias dicat, Artemidoro Tralliano, quum tener admodum παγκράτιον ἐν παισὶν iniisset Olympiæ Elidis, ob ætatis infirmitatem non contigisse victoriam; postea vero, quum tempus veterum Olympiorum Smyrnæorum venisset, tantum roboris ei accessisse, ut eodem die tres victorias reportaret. Nam priore loco de Olympiis Eleis sermonem esse, inde patet, quod in sequentibus dicitur adversarios, quos

Olympiæ habuerat, Smyrnæ vicisse. Atque ἀγῶνα illum Smyrnæorum fuisse Olympium Jovis, non Hadriani, patet ex iis quæ adduntur: fuisse qui dicerent illum Smyrnæ et puerili et virili certamine vicisse; hoc saltem constare, Olympicam victoriam certaminis inter viros illi Olympiade 212 contigisse. Si enim Olympia Hadriani fuissent, non tantus esse poterat numerus Olympiadum. Quo loco in primis illud urgeo quod dicit: ὡς ἀφίκετο ἀγῶνος καιρὸς, ὃν Σμυρναῖοι Ἰώνων ἄγουσι, non ἦγον; id enim significat, Olympia Jonum certamina, in Jovis honorem instituta, non tunc solum sed semper in hac urbe celebrari. Hinc merito concludimus Ὀλύμπια reliquarum Asiæ urbium non fuisse vetera Olympia Jovis, quæ semper Smyrnæ celebrarentur, sed nova Olympia Hadriani, quæ passim per varias Asiæ urbes celebrata fuisse docuimus.

Reliquum est igitur, ut de Hadrianiis Olympiis Cyzicenorum et Smyrnæorum disseramus. Constituta fuisse apud Cyzicenos certamina quinquennalia in Hadriani honorem, quæ Hadriania Olympia dicerentur, patet ex marmore Cyziceno ap. Caylum Tom II, tab. 64, in quo Cajus Pistus, civis Cyzicenus, dicitur vicisse ἀνδρῶν παγκράτιον Ἀδριάνεια Ὀλύμπια κοινὸν Ἀσίας τῇ ἐνδεκάτῃ Ὀλυμπιάδι; et ex alio marmore Gyziceno ap. eundem tab. 63, in quo Marcus Aurelius Carus dicitur vicisse κοινὸν Ἀσίας ἐν Κυζίκῳ παίδων παγκράτιον πενταετηρίδι ζ, vicisse præterea Τράλλεις Ὀλύμπια παίδων παγκράτιον καὶ Ἀδριάνεια Ἀθήνας ἀγενείων παγκράτιον. Non enim Elei soli sed etiam alii Olympiades suas numerabant. In marmore ap. Gruter. p. 314 Marcus Aurelius Asclepiades Alexandria Olympia Olympiade sexta vicisse dicitur, nimirum Alexandriæ instituta. Et in marmore Atheniensi ap. Boeckh. I, p. 415 (Murator. p. 1080) Sebastopolitani Ponti Hadrianum Olympium Olympiade prima venerantur. Est scilicet hæc Olympias privata

Athenlensium a dedicatione Olympici sive a ludis in honorem Hadriani computata. Muratorius, qui hoc loco de Olympiadibus Eleorum cogitavit, non potuit anni notam explicare. Itaque Olympiades illæ in marmoribus Cyzicenis supra allatis sunt Olympiades Cyzicenorum, juxta Olympia Hadriania, quæ Cyzici peragebantur, computatæ. Huc dinique pertinet aliud marmor Cyzicenum ap. Caylum Tom. II, Tab. 60, 61, 62, quod ita incipit: Ἀγαθῇ τύχῃ. Ἱππαρχούσης Αὐρηλίας Ἰουλίας Μενελαΐδος ἡρωΐδος, θυγατρὸς Αὐρ. Μενελάου Ἀσιάρχου, ἀγομένου ἀγῶνος Ἀδριανῶν Ὀλυμπίων, ἐφηβαρχοῦντὸς τῆς λαμπροτάτης μητροπόλεως τῆς Ἀσίας Ἀδριανῆς νεωκόρου φιλοσεβάστου Κυζικηνῶν πόλεως Μάρκου Αὐρ. Ἀμερίμνου. Tum sequuntur longo ordine nomina epheborum ad certamen ludorum Hadrianalium committendum electorum. Suspicatur Caylus p. 222, ludos Hadrianales Cyzici institutos fuisse anno 888, quatuor annis postquam Athenis essent instituti: utrumque sine idonea causa. Nam Athenis probabile est hæc certamina instituta fuisse eodem anno quo Olympieum dedicaretur, id est, anno 883; atque quum eodem anno templa per Asiæ urbes dedicarentur, etiam per Asiam eodem tempore certamina Hadriania instituta fuisse verosimile est. Non enim apparet ulla causa dilationis. Corona quæ in numis Cyzici ap. Mionnet. II, p. 533 sqq. apparet, fortasse ad hos ludos spectat. De his ludis cfr. præterea Aristid. Oratt. Sacr. V, p. 637.

Eosdem ludos Smyrnæ actos fuisse testatur inscriptio de victoriis C. Ant. Septimii Publii Citharoedi, quam p. 81 descripsimus; tum Philostratus in Vita Polemonis p. 530: προκαθῆσθαι τῶν Ἀδριανοῦ Ὀλυμπίων ἔδοσαν τῷ ἀνδρὶ καὶ ἐκγόνοις, καὶ τῆς ἱερᾶς τριήρους ἐπιβατεύειν. Idem p. 534: τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ὀλύμπια οἷς ἐπεστάτει ὁ Πολέμων; et p. 541: τὰ κατὰ τὴν Σμύρναν Ὀλύμπια. Priore loco aperte commemorantur Hadriania Olympia; utrum secundo et tertio, dubitandum videtur.

Quod secundo loco Polemon, qui Hadrianiis Smyrnæorum præerat, Olympiis κατὰ τὴν Ἀσίαν præesse dicitur, id videtur explicationi illi favere, qua verba illa τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ὀλύμπια de Hadrianiis intelliguntur, vel omnium quotquot erant Asiæ urbium vel Smyrnæorum solorum, qui sua Hadriania per arrogantiam quandam Asiæ Hadriania dicerent. Sed accuratiore disquisitione apparebit falsam esse hanc explicationem. Primum enim nihil impediebat, quin Polemon, quod Olympiis Smyrnæorum Hadrianiis præesset, etiam Olympiis sive Smyrnæorum sive totius Asiæ in Jovis honorem celebratis præesse posset. Deinde in inscriptione Hermodori ap. Gruterum p. 314, cujus jam sæpius mentionem fecimus, aperte opponuntur vetera Olympia Smyrnæorum Jovi dicata, et nova Olympia Hadriani: Σμύρναν ε΄ κοινὰ Ἀσίας δὶς δεύτερον στήσας τοὺς ἀνταγωνιστάς, ὁμοίως ἐν Σμύρνῃ Ὀλύμπια καὶ Ἀδριάνια Ὀλύμπια[4]. Itaque Olearius ad l. l. Philostrati observat τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ὀλύμπια eadem esse quæ τὰ κατὰ τὴν Σμύρναν Ὀλύμπια, quæ a tota Jonia Smyrnæ ad templum Jovis celebrarentur, diversa ab Olympiis Hadrianiis apud eosdem[5]. Atque certamina τοῦ κοινοῦ τῆς Ἀσίας in inscriptione illa contra Seldenum statuit non esse eadem quæ τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ὀλύμπια, sed distingui tria genera ludorum, primum vetera Olympia Asiæ, quæ Smyrnæ semper peragebantur, tum Hadriani Olympia, et denique quinquennalia certamina τοῦ κοινοῦ τῆς Ἀσίας, variis Asiæ urbibus, Ephesi, Smyrnæ, Pergami celebrata. Sed quod certamina τοῦ κοινοῦ τῆς Ἀσίας numquam Ὀλύμπια

---

4) De binis Olympicis ludis Smyrnæorum cfr. Salmas. ad Spartian. p. 50 sqq.

5) Τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν Ὀλυμπίοις præerant Asiarchæ, quorum in numis frequens est mentio, vide Mionn. III, p. 61 et 62; IV, p. 128 et p. 130.

dici contendit, fallitur, ut patet ex inscriptione de victoriis C. Pisti, quam p. 84 posuimus. Neque vero Caylus distinctionem illam admittit. Ille enim ad inscriptionem C. Pisti p. 221 observat, ludos κοινὸν Ἀσίας totius Asiæ impensis Asiarcha præside in honorem imperatorum Romanorum Ephesi, Smyrnæ, Sardibus, Pergami, aliisque in urbibus celebratos fuisse. Nobis quidem videtur hæc res optime explicari posse, si statuimus, quod per se probabile est, non solum ludos Olympios veteres in Jovis honorem totius Asiæ impensis fuisse celebratos, sed etiam ludos Olympios Hadrianios, quamvis sæpe unius urbis impensis celebrarentur, potuisse tamen totius Asiæ impensis celebrari. Itaque Jovis Olympiis semper addi poterat κοινὸν Ἀσίας, Hadrianiis non semper. Ita Τράλλεις Ὀλύμπια in inscriptione de victoriis M. Aurelii Cari sunt Hadriania solorum Trallianorum impensis celebrata, sed Olympiis Hadrianiis Cyzici, quæ C. Pistus et M. Aurelius Carus vicerunt, additur κοινὸν Ἀσίας, quod tunc totius Asiæ impensis celebrabantur. Olympia vetera κοινὸν Ἀσίας semper Smyrnæ celebrata fuisse diximus; Hadriania Olympia κοινὸν Ἀσίας non solum apud Smyrnæos sed etiam in aliis urbibus celebrabantur. Itaque quod in inscriptione Hermodori et veteribus Olympiis Jovis et novis Olympiis Hadrianiis anteponitur Σμύρναν ε΄ κοινὰ Ἀσίας, id significat bina hæc certamina tunc quinquies una Smyrnæ fuisse edita, vel ita ut uno eodemque die ederentur vel singulis singuli dies deinceps adsignarentur. In aliis urbibus non poterant hi ludi una celebrari, sed tantummodo Hadriania. — In numis Smyrnæ haud raro commemorantur certamina κοινὰ Ἀσίας cum solitis ludorum typis. Mionnet. III, p. 238 habet duos tales Septimii Severi, p. 248 unum Maximini et Maximi, p. 255 unum Gallieni. Idem p. 205 et p. 228 habet tres numos

Smyrnæ cum typo aquilæ alis expansis coronam rostro tenentis.

Caput IX.

Ex Spartiano didicimus Hadrianum, quum ex Africa Romam rediisset, statim ad Orientem profectum per Athenas iter fecisse atque Jovis Olympii ædem dedicasse, eodemque modo per Asiam iter facientem dedicasse templa nominis sui. Jam quæritur qua via Athenis in Asiam profectus sit. Potuit per insulas maris Ægæi, potuit per Macedoniam et Thraciam. Venisse Hadrianum in has regiones constat, sed quo tempore incertum: Adventum in Macedoniam testatur numus ap. Eckhel. p. 498 inscriptus: *Adventui Aug. Macedoniæ S. C.*, et alter inscriptus: *Restitutori Macedoniæ* S. *C.* Ad honores illi per Macedoniam, Illyricum Epirum habitos pertinent tres numi ap. Mionnet.; unus Tom. I, p. 458 cum capite Hadriani inscriptus Κοινὸν Μακεδόνων; alter ap. eundem in numis Illyrici, Tom. II, p. 34 inscriptus Ἀπολλωνιατῶν repræsentans imperatorem in templo tetrastylo stantem; tertius denique Nicopolitarum ap. eundem Tom. II, p. 57 in numis Epiri cum capite Hadriani laureato, quibus addi potest alius Nicopolitarum ap. eundem inscriptus Ἀντίνοος ἥρως. Adventum in Thraciam significat numus ap. Eckhel. p. 501 inscriptus: *Adventui Aug. Thraciæ S. C.* Tillemontius suspicatur Hadrianum, quum anno 887 ex Ægypto per Syriam Occidentem peteret, per Thraciam et Macedoniam iter fecisse. Quæ opinio quibus argumentis firmari possit nescio. Eckhel. p. 501 affirmat iter Hadriani in Thraciam incerti esse temporis; in Macedoniam cum venisse

suspicatur tunc quum altero imperii anno per Illyricum ex Oriente Romam proficisceretur. Nos non negamus fieri potuisse ut Hadrianus jam tunc in Thraciam et Macedoniam venerit, ita tamen ut summa celeritate has regiones peragrarit, quum res Moesiæ et Daciæ videantur imperatorem Romam venire festinantem, satis diu retinuisse. Itaque vix potuit commoratione tam brevis temporis nomen Restitutoris aliosque honores mereri, neque verosimile est adventum illum numis fuisse illatum. Reliquum est igitur, ut adventus in has regiones, quem numi significant, referendus sit vel ad illud tempus, quo e Parthia per Asiam et insulas in Achaiam proficiscebatur, vel ad commorationem apud Athenienses, quæ deinde sequuta est, vel ad tempus illud, quo post dedicationem Olympiei Asiam petebat. Sed quum Spartianus eum per Asiam et insulas in Achaiam navigasse dicat, non admodum verosimile est, illum tunc Thraciam et Macedoniam adiisse, nisi forte statuimus illum ex Asia, ante quam navigationem susciperet, in has regiones excurrisse. Restat igitur ut statuamus eum, vel dum Athenis 876—879 vel 880 commoraretur, huc se contulisse, vel tum demum, quum Olympieo dedicato Asiam peteret. Priorem opinionem confirmat inscriptio urbis Perinthi sive Heracleæ Thraciæ ap. Boeckh. Tom. II, p. 66, Perinthi reperta: Ἀγαθῇ τύχῃ. Αὐτοκράτορα Καίσαρα Τραϊανοῦ Παρθικοῦ υἱὸν, θεοῦ Νερούα υἱωνὸν, Τραϊανὸν Ἀδριανὸν Σεβαστὸν δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ Ι΄, ὕπατον τὸ γ΄. Etenim Trib. Pot. X incidit in annos 879—880. Accedit argumentum aliud petitum ex brevitate temporis tunc quum anno 883 post dedicationem Olympiei per Asiam Ægyptum peteret. Atque ut verum profiteamur, statuimus Hadrianum anno 879 Athenis in Thraciam et Macedoniam excurrisse. Quod statuimus Hadrianum *Athenis*, non aliunde, in Thraciam venisse, id confirmatur aliquatenus numo Thessalorum ap. Eckhel. p. 135

in numis Thessaliæ et ap. Mionnet. Tom. II, p. 6, inscripto: Ἀδριανὸν Καίσαρα Θεσσαλοί. Si enim in Thessaliam venit, quod hic numus innuere videtur, facile potuit in Thraciam et Macedoniam vicinam excurrere. Nihilo tamen minus etiam anno 883 dedicato Olympieo statuimus Hadrianum potius per Thraciam quam per insulas in Asiam esse profectum. Probabile enim est imperatorem secundo illo itinere urbem a se in Thracia conditam, Hadrianopolin, denuo invisere velle. Numi imperatorii hujus urbis ab Hadriano usque ad Gordianum multi reperiuntur. Eckhel. Tom. II, p. 33 observat frequentem esse in illis religionem Ægyptiorum, procurante conditore Hadriano. Cfr. quoque Mionnet. Tom. I, p. 385. Inprimis Serapis et Isis in his numis exprimuntur. Hadrianum etiam in aliis urbibus Ægyptiorum religionem instituisse, docet numus Sinopensium sub Hadriano ap. Mionnet. Tom II, p. 405 in quo Serapis, et numus Lebedi in honorem Sabinæ ap. eundem Tom. III, p. 141 in quo Isis cum Loto. Atque quod in numo Argivorum sub Antonino Pio ap. Mionnet. p. 234 repræsentatur Isis, id quoque Hadriani studiis tribuendum esse videtur. Etiam in numis autonomis Perinthi sive Heracleæ Thraciæ ap. Mionnet. Tom. I, p. 399 sqq. frequens est religio Ægyptiorum, Serapis, Isis, Apis, Harpocrates, Anubis, Lotus. Atque Hadrianum etiam in operibus artis Ægyptiorum ingeniis delectatum esse, patet ex Cayli libro Rec. d'Antiquités Tom. II, p. 117, ubi describitur statua valde antiqua, Ægyptiis similis, pedibus junctis, manibus et brachiis corpori adhærentibus, quam in villa Hadriani Tiburtina inter alia multa insignia artis opera repertam esse refert.

Ex aliis hujus regionis urbibus pauca sunt testimonia. Numum imperatorium urbis Æni ad Hebri ostia sub Hadriano cum typo Fortunæ, ap. Eckhel. p. 23 in

numis Thraciæ, Mionnet mavult ad Samothraciam referre, pro Ἀεινίων ἐν Θρᾴκῃ emendans Σαμίων ἐν Θρᾴκῃ. In numo urbis Odessi Thraciæ ap. Mionnet. Tom. I, p. 395 exprimitur Hadrianus eques jaculum gerens, id quod ad studium venandi pertinet. Inscriptionem Sestiorum in Olympieo positam jam commemoravimus.

E Thracia in Asiam transgressus est. Adventum in Asiam indicant tres numi ap. Eckhel. p. 492; primus inscriptus: *Adventui Aug. Asiæ S. C.;* alter: *Restitutori Asiæ S. C.;* tertius *Asia*, repræsentans mulierem d. pede proræ navis insistentem, d. acrostolium, s. gubernaculum tenentem. Sed ex numis ipsis excepto tamen tertio non patet, utrum priorem an posteriorem adventum significent; atque p. 31 diximus probabile esse hos numos ad priorem adventum pertinere, quod etiam valet de aliis numis infra afferendis. Atque hanc opinionem confirmat typus numi illius quem tertio loco posuimus; tum typus numi Cyziceni, quem infra describemus. Priore enim adventu teste Spartiano per Asiam *navigavit*, atque typi illi maritimum iter innuunt. Quo vero ordine nunc templa dedicaturus varias Asiæ partes peragrarit, id expediri nequit. Monumenta et testimonia ad profectionem per Asiam pertinentia magnam partem jam descripsimus eo loco ubi de cognomine Olympii et de ludis in Hadriani honorem institutis disputavimus. Restant tamen haud pauca, quæ hoc loco colligemus. Aquæductum Troiæ factum commemorat Philostratus in Vita Herodis Attici p. 548: Ἰδὼν τὴν Τρῳάδα βαλανείων πονηρῶς ἔχουσαν ... ἐπέστειλεν Ἀδριανῷ τῷ αὐτοκράτορι μὴ περιϊδεῖν πόλιν ἀρχαίαν καὶ εὐθάλατταν αὐχμῷ φθαρεῖσαν, ἀλλ' ἐπιδοῦναί σφισι τριακοσίας μυριάδας ἐς ὕδωρ, ὧν πολλαπλασίας ἤδη καὶ κώμαις ἐπιδεδώκει. ἐπῄνεσεν ὁ αὐτοκράτωρ τὰ ἐπεσταλμένα ὡς πρὸς τρόπου ἑαυτῷ ὄντα, καὶ τὸν Ἡρώδην αὐτὸν ἐπέταξε τῷ ὕδατι. Aianteum sive sepulchrum Aiacis cum templo, in tumulo

Rhoeteo situm et alluvione maris collapsum, ab Hadriano, quum Trojam venisset, restitutum fuisse auctor est Philostratus in Heroicis p. 668.

Adventum Hadriani in urbem Cyzici indicare videtur numus ap. Eckhel. in numis Mysiæ inscriptus: εὐτυχεστάτου Κυζικηνῶν, repræsentans navem cum vectoribus. Adventum in Bithyniam significant duo numi ap. Eckhel. p. 492 sq., alter inscriptus: *Adventui Aug. Bithyniæ S. C.*, alter: *Restitutori Bithyniæ*. Eusebius et Hieronymus in Chron. referunt, Nicomediam, Nicæam, Cæsaream plurimasque vicinas urbes anno 874 terræ motu corruisse, Hadrianumque harum instaurationi de publico largitum esse impensas. Sed Chronicon Paschale ad annum imperii septimum habet: Ἀδριανὸς ἐν Νικομηδείᾳ καὶ Νικαίᾳ ἀγορὰς ἐποίησεν καὶ τετραπλατείας καὶ τὰ τείχεα τὰ πρὸς τῇ Βιθυνίᾳ. Ἔτι γε μὴν καὶ ἐν Κυζίκῳ ναὸν ἔκτισεν, καὶ τὴν ἐν αὐτῇ πλατείαν ἔστρωσε μαρμάροις. καὶ ἐν πολλοῖς δὲ ἄλλοις ἐπισημοτέραις πόλεσι ναοὺς διαφόρους καὶ πολλοὺς ἀνέστησε καὶ ἀγάλματα ποικίλα ἵδρυσεν ἐν αὐτοῖς. Idem liber ad annum imperii XII: σεισμοῦ γενομένου Νικομηδείας καὶ Ἀορίας (lege Καισαρείας) τῆς Βιθυνίας τὰ πολλὰ κατεστράφη. Huc pertinet numus ap. Eckhel. p. 499, inscriptus *Restitutori Nicomediæ*.

Adventum in Cappadociam significant duo numi ap. Eckhel. p. 493, alter inscriptus: *Cappadocia S. C.*; alter: *Exercitus Cappadocicus S. C.*, repræsentans imperatorem equitem milites alloquentem. Ex Arriani Periplo Ponti c. 1 patet Hadrianum venisse Trapezuntem, sed incertum quo anno, atque in illo loco, ex quo olim Xenophon et nunc Hadrianus mare prospexissent, aras erectas esse cum inscriptionibus et statuam imperatoris positam; tum templum Mercurii jussu imperatoris vel in ipsa urbe vel prope urbem factum. Ita enim ille epistolam ad Hadrianum datam incipit: Εἰς Τραπεζοῦντα

ἥκομεν ...... καὶ τὴν μὲν θάλατταν τὴν τοῦ Εὐξείνου ἄσμενοι κατίδομεν, ὅθεν περ καὶ Ξενοφῶν καὶ σύ. καὶ οἱ βωμοὶ ἀνεστᾶσιν ἤδη, λίθου μέντοι γε τοῦ τραχέος. καὶ τὰ γράμματα διὰ τοῦτο οὐκ εὔδηλα κεχάρακται. τὸ δὲ Ἑλληνικὸν ἐπίγραμμα καὶ ἡμαρτημένως γέγραπται οἷα δὴ ὑπὸ βαρβάρων γραφέν. Ἔγνωκα οὖν τούς τε βωμοὺς λίθου λευκοῦ ἀναθεῖναι καὶ τὰ ἐπιγράμματα ἐγχαράξαι εὐσήμοις τοῖς γράμμασιν. Ὁ μὲν γὰρ ἀνδριὰς ἕστηκεν ὁ σὸς τῷ μὲν σχήματι ἡδέως. ἀποδείκνυσι γὰρ τὴν θάλατταν. τὴν δὲ ἐργασίαν οὔτε ὅμοιός σοι, οὔτε ἄλλως καλός. ὥστε πέμψον ἀνδριάντα, ἄξιον ἐπονομάζεσθαι σὸν, ἐν τῷ αὐτῷ τούτῳ σχήματι. τὸ γὰρ χωρίον ἐπιτηδειότατον εἰς μνήμην αἰώνιον. Πεποίηται δὲ καὶ ὁ νεὼς, λίθου τετραγώνου, οὐ φαῦλος. ἀλλὰ τὸ τοῦ Ἑρμοῦ ἄγαλμα οὔτε τοῦ νεὼ ἄξιόν ἐστιν οὔτε αὐτοῦ τοῦ χωρίου. Spartian. c. 13 auctor est, Hadrianum a Cappadocibus servitia castris profutura accepisse, eodemque plures reges ad amicitiam invitasse; quam rem ille ad hanc postremam profectionem refert. Commemorata enim dedicatione Olympiei addit: "Eodemque modo per Asiam iter faciens templa sui nominis consecravit. *Deinde* a Cappadocibus servitia castris profutura suscepit; Toparchas et reges ad amicitiam invitavit, invitato etiam Cosdroe rege Parthorum." Neque dubitandum videtur, quin significet reges illos in *Cappadociam* fuisse invitatos. Huic enim vicina erat Parthia.

Urbs Amisus Ponti maritima sub Hadriano demum monetam imperatoriam et quidem argenteam ferire coepit, quum cæterum paucissimis urbibus Græciæ liceret ex argento ferire numos. Verum paulo post sub Antonino tantummodo æneos numos ferire coepit, ut observat Eckhel in numis Ponti p. 348. Cfr. Mionnet. Tom. II, p. 344, qui tamen unum argenteum sub Antonino habet.

Adventum in Phrygiam testantur duo numi ap. Eckhel. p. 500, alter inscriptus: *Adventui Aug. Phrygiæ S. C.*; alter: *Restitutori Phrygiæ S. C.* Adventum in Ciliciam non nisi unus numus testatur ap. Eckhel. p. 494, inscriptus: *Adventui Aug. Ciliciæ S. C.* Ex hac provincia Hadrianum in Syriam transgressum esse, sequitur quum ex verbis Spartiani jam laudatis, tum ex initio cap. sequentis, ubi post res Hadriani per Asiam gestas commemoratur profectio per Syriam, Palæstinam atque Arabiam. Innumeras illas urbes Asiæ, quæ vel templis in Hadriani honorem exstructis, vel saltem Olympii cognomine illi tributo, vel ludis ad eum celebrandum institutis, vel nomine ejus adscito, vel aliis denique honoribus gratum animum ob beneficia in se collata significarint, jam commemoravimus, atque ut par est hoc loco omisimus, quamquam inde, si non in omnibus, at in plerisque gravissimum de itineribus Hadriani testimonium repeti posse videatur. Unum adhuc superest argumentum ex honoribus Antinoi repetitum; verum totum hunc locum differendum censuimus, donec de Antinoo deo disputatio instituetur.

Caput X.

Adventum Hadriani in Syriam indicant numi ap. Eckhel. p. 501 inscripti: *Exercitus Syriacus, S. C.*, repræsentantes imperatorem vel stantem vel equitem, milites alloquentem. Tillemontius p. 240 statuit Hadrianum bis ex Asia in Syriam venisse, primum anno 877; id quod omnino falsum est; tunc enim, si in Syriam venit, quod tamen demonstrari nequit, venit e Parthia, non ex Asia, atque e Syria in Asiam transgressus est, neque id anno

877 sed 876 factum est. Secundum vero Hadriani adventum ex Asiam in Syriam idem, quod probamus, anno 883 assignat, quo tempore teste Spartiano c. 14 Antiochenses ita odio habuit, ut Syriam a Phoenice separare voluerit, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur. Suidas in Παῦλος Τύριος ait hoc re vera factum esse, quum Tyrum metropolin Hadrianus diceret. Hinc quoque factum est, ut quum numi Antiochiæ imperatorii ad hoc usque tempus frequentes sint cusi, deinde aliquamdiu rarissimi appareant. Antiochiam jam sub Julio Cæsare appellatam esse metropolin docet Spanheim. I, p. 586 ex decreto Julii Cæsaris in Chron. Malalæ p. 216 Bonn., quod sic incipit: Ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μητροπόλει ἱερᾷ καὶ ἀσύλῳ καὶ αὐτονόμῳ καὶ ἀρχούσῃ καὶ προκαθημένῃ τῆς Ἀνατολῆς Ἰούλιος Γάϊος Καῖσαρ; atque idem p. 587 sqq. observat numos Tyri apparere cum appellatione metropoleos, Cæsarum temporibus antiquiores. Verum Eckhel. p. 386 in numis Phoeniciæ hoc ita explicat, recte ut nobis quidem videtur, ut Tyrus in numis ante Hadrianum metropolin se dicat quasi matrem urbium sive coloniarum, sed ab Hadriano inde ex instituto civili[1]. Cæterum Antiochiam postea titulum metropoleos recuperasse, apparet ex numo Heliogabali ap. Mionnet. V, p. 205, et sequentium deinceps imperatorum[2]. Atque Hadrianum non semper Antiochenses odio habuisse docet Malalas p. 277 sqq. Bonn., narrans Hadrianum in hac urbe exstruxisse balneum publicum et aquæductum suo

[1]) De varia significatione vocis μητροπόλεως cfr. doctam disquisitionem Humphridii Prideaux ad Marm. Oxonn. p. 465 sqq. ed. secundæ.

[2]) De pluribus unius provinciæ motropolibus cfr. Spanh. I, p. 594 sqq. Strabo XVI, p. 336 Tzschucke, commemoratis coloniis a Tyro et Sidone conditis: ἀμφότεραι δ᾽ οὖν ἔνδοξοι καὶ λαμπραὶ καὶ πάλαι καὶ νῦν. ὁποτέραν δ᾽ ἂν τις εἴποι μητρόπολιν Φοινίκων, ἔρις ἐν ἀμφοτέραις ἐστίν.

nomine vocatum utrumque, et theatrum et templum ingens et stupendum (φοβερὸν ἔργον), Fontium sive Naiadum posita statua, et multos alios ductus aquarum; tum diem festum Fontium instituisse, et multos Senatores Romanos impulisse ut in hac urbe varia ædificia et balnea exstruerent. Ad honores Hadriano per Syriam et Phoeniciam habitos pertinet inscriptio ap. Pocock. p. 3, in Syria reperta: *Imp. Cæsari Tra. Fil. Hadriano;* tum inscriptio ap. Orell. I, p. 141: *Imp. Cæsari ..... Hadriano ...... Col. Jul. Fel. Berytus.* Alia denique ap. Muratori p. 115, Palmyræ reperta: Διῒ μεγίστῳ κεραυνίῳ ὑπὲρ σωτηρίας Τρα. Ἀδριανοῦ Σεβ. τοῦ κυρίου Ἀγαθάγγελος Ἀβιληνὸς τῆς Δεκαπόλεως τὴν καμάραν ᾠκοδόμησεν καὶ τὴν κλίνην ἐξ ἰδίων ἀνέθηκεν ἔτους εμυ´ μηνὸς Λώου[3], i. e. anno Chr. 133 sive Anno U. C. 886 teste Muratorio. Qui si anni notam recte explicavit, pertinet hæc inscriptio ad serius tempus, quum Hadrianus ex Ægypto in Syriam se contulisset, ut bellum Judaicum, quod anno 885 inceperat, ex propinquo specularetur. Neque probabilis est suspicio, Hadrianum in ipso bello pericula adiisse et feliciter evasisse. Inscriptio enim significat lectisternium ὑπὲρ τῆς σωτηρίας Hadriani habitum. — Urbs Philadelphiæ Coelæ Syriæ habet numum Hadriani ap. Mionnet. V, p. 332 inscriptum Τύχη Φιλαδελφέων, id quod beneficia nescio quæ in hanc urbem ab Hadriano collata significare videtur. Urbs Tripolis Phoeniciæ ap. eundem V, p. 399, habet plures numos Hadriani cum Dioscurorum vel pileis vel capitibus, interdum cum Victoria palmam et coronam tenente. Qui typis quamquam alias in numis hujus urbis non

---

[3]) Mensis Λῷος proprius est Macedonum et respondet Januario, vide Selden ad Marm. Oxonn. p. 115 ed. secundæ. Sed in Comment. ad Chron. Pasch. p. 230 mensis Λῷος Augusto respondere dicitur.

insolitus, videtur tamen h. l. itinera et res bellicas Hadriani significare.

Post Hadriani adventum in Syriam Spartian. c. 14 commemorato breviter bello Judaico, "Peragrata Arabia, inquit, Pelusium venit et Pompeii tumulum magnificentius exstruxit." Dio Cassius p. 1159: Ἀφικόμενος ἐς τὴν Ἑλλάδα ἐπώπτευσε τὰ μυστήρια. διὰ δὲ τῆς Ἰουδαίας μετὰ ταῦτα εἰς Αἴγυπτον παριὼν καὶ ἐνήγισε τῷ Πομπηΐῳ. Interposita deinde narratione de Antinoi morte pergit narrare, Judæos, quum Hadrianus loco Hierosolymorum eversorum Coloniam Æliam Capitolinam condidisset, atque eo loco, ubi Jehovæ templum fuerat, alterum Jovi ædificasset[4], graviter quidem tulisse hanc sacrorum suorum contaminationem, sed tamen, quamdiu Hadrianus per Syriam et Ægyptum commoraretur et in vicinia adesse videretur, compressisse iram, quiescendum sibi esse ratos; postea vero, ubi procul abesse videretur, palam defecisse. Hinc patet Hadrianum e Syria per Judæam nondum bello motam in Arabiam et inde in Ægyptum venisse. Et in Judæam eum venisse significant numi ap. Eckhel. p. 495; alter inscriptus: *Adventui Aug. Judææ S. C.;* alter *Exercitus Judaicus S. C.*, repræsentans imperatorem in suggestu stantem et milites alloquentem; tertius denique inscriptus: *Judæa S. C.*, cum typo imperatoris Restitutoris, cui numo similes duos alios sed non plane eosdem commemorat[5]. Eodem pertinere videtur numus Ptolemaidis Galilææ sub Hadriano cum typo Fortunæ, ap. Mionnet.

---

[4]) Hadrianum ipsum sibi in illo templo posuisse statuam, testatur Suidas: βδέλυγμα ἐρημώσεως· τὸν Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως ἀνδριάντα. ὁ γὰρ Ἀδριανὸς καθεῖλε τὴν πόλιν ἄρδην. ... καὶ τὸ ἑαυτοῦ ὄνομα ἐπέθηκε τοῖς λειψάνοις τῆς πόλεως Αἰλίαν αὐτὴν προσαγορεύσας. Cfr. quos laudat F. Münter, Der jüdische Krieg, p 90.

[5]) Nullus numus reperitur inscriptus: Restitutori Judææ.

V, p. 476. Ad honores Hadriano habitos pertinere videntur tres numi Tiberiadis Galilææ ap. Mionnet. V, p. 485, itemque tres Cæsareæ Samariæ ap. eundem p. 486 et 487, in quibus Hadriani nomen Dativo casu exprimitur. Jam quoniam bellum Judaicum duce Barchocheba vulgo statuitur anno 885 initium cepisse atque 888 repressum fuisse, atque quoniam tunc demum hoc bellum inceperunt Judæi, quum Hadrianus procul abesse videretur; porro quoniam in Ægyptum venit 883 vel 884, sequitur Hadrianum vel 883 vel 884 per Judæam et Arabiam iter fecisse, neque fieri posse ut hoc iter, quemadmodum Tillemont. facit p. 244, vel anno 883 vel 885 assignetur. Nam anno 885 bellum Judaicum exarsit, quum Hadrianus procul abesse videretur. Ita enim Eusebii Chron. ad annum 133 (886): Ἀδριανὸς κατὰ Ἰουδαίων ἀποστάντων στράτευμα ἐξέπεμψε καταδραμόντων τὴν Ἰουδαίαν ἀπὸ Αἰγύπτου καὶ Λιβύης μετὰ πολλοὺς πολέμους. Scilicet initio Romani rebellionem contempserunt, ut refert Dio Cassius p. 1162, unde factum est, ut quum rebellio jam 885 initium cepisset, non tamen ante 886 exercitus adversus eos mitteretur duce Julio Severo, qui ex Britannia, cui præerat, teste Dione l. l., arcessendus erat. Atque Euseb. Chron. ad annum 135 (888): Ἰουδαῖοι κακῶς ἀπήλλαξαν καὶ ὁ πρὸς αὐτοὺς πόλεμος πέρας ἔσχε. His testimoniis addi potest Aristo Pellæus ap. Euseb. Hist. Eccl. IV, c. 6: ἀκμάσαντος τοῦ πολέμου ἔτους ὀκτωκαιδεκάτου τῆς ἡγεμονίας Ἀδριανοῦ. Nam duodevicesimus imperii annus est 887. Georgius Synællus, Chron. p. 660 Bonn., non quidem annos rebellionis accurate indicat; tamen ad ultimos duodecim imperii annos bellum Judaicum refert. Eusebium sequuntur recentiores fere omnes, Gieseler (Kirchengesch.), Guerike (Kirchengesch.), Schlosser[6]

[6]) Ita ille p. 557: Solange Hadrian im Orient reisete (130 bis 132), glomm das Feuer unter der Asche; sobald er in den

(alte Geschichte), plures. Non defuere tamen, qui rebellionem Judæorum alio tempore incepisse statuerent. Epiphanius de Pondd. et Mensuris c. 14 p. 170 refert Hadrianum Hierosolymam venisse anno, postquam a Tito eversa fuerat, septimo et quadragesimo, i. e. anno primo imperii sui, atque consilium cepisse de colonia huc deducenda[7]. Qui si vel vera narravit, quod dubitandum saltem esse videtur, non tamen inde demonstrari potest, quod nonnulli voluerunt, rebellionem brevi post exarsisse, quamquam Chron. Hieron. l. posterior ad annum 119 (873) habet: "Hadrianus Judæos capit secundo contra Romanos rebellantes." Atque similiter Chronic. Paschale p. 474 Bonn. ad annum imperii tertium Hadriani expeditionem adversus Judæos refert. Locum apponam totum, quum inde varias res Hadriani per Judæam gestas cognoscamus: Ἰνδ. α΄. γ΄ (Indictione primo anno imperii tertio) ὑπ. Αἰλίου Ἀδριανοῦ Αὐγούστου τὸ β΄ καὶ Ῥουστικίου. ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων Ἰουδαίων στασιασάντων ἦλθεν Ἀδριανὸς εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ ἔλαβε τοὺς Ἰουδαίους αἰχμαλώτους, καὶ ἀπελθὼν εἰς τὴν λεγομένην Τερέβινθον προέστησεν πανήγυριν καὶ πέπρακεν αὐτοὺς εἰς ταγὴν ἵππου ἕκαστον, καὶ τοὺς ὑπολειφθέντας ἔλαβεν εἰς Γάζαν, καὶ ἐκεῖ ἔστησεν πανήγυριν καὶ ἐπώλησεν αὐτούς. καὶ ἕως τοῦ νῦν ἡ πανήγυρις ἐκείνη λέγεται Ἀδριανή. Καὶ καθελὼν τὸν ναὸν τῶν Ἰουδαίων τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις ἔκτισε τὰ δύο δημόσια (balnea) καὶ τὸ θέατρον καὶ τὸ τρικάμαρον (ædem trium coenaculorum) καὶ τὸ τετράνυμφον (quadruplex Nymphæum seu aquarum

Westen zurückgegangen, brach es aus, und die Juden aus allen Gegenden strömten nach Palæstina (133—135), und Hadrian musste seinen besten General Julius Severus aus Britannien dahinschicken.

[7]) Ἔρχεται εἰς τὴν Παλαιστίνην, τὴν καὶ Ἰουδαίαν καλουμένην, μετ᾽ ἔτη μζ΄ τῆς τῶν Ἱεροσολύμων ἐρημώσεως. ... διανοεῖται οὖν ὁ Ἀδριανὸς τὴν πόλιν κτίσαι.

receptaculum) καὶ τὸ δωδεκάπυλον (ædificium XII portis pervium) τὸ πρὶν ὀνομαζόμενον Ἀναβαθμοί, καὶ τὴν κόδραν[8] καὶ ἐμέρισεν τὴν πόλιν εἰς ἑπτὰ ἄμφοδα (vicos) καὶ ἔστησεν ἀνθρώπους ἰδίους ἀμφοδάρχας (vicomagistros), καὶ ἑκάστῳ ἀμφοδάρχῃ ἀπένειμεν ἄμφοδον. καὶ ἕως τῆς σήμερον εἰς τὸ τοῦ ἀμφοδάρχου ὄνομα ἕκαστον ἄμφοδον χρηματίζει. Καὶ ἐπέθηκε τὸ ἑαυτοῦ ὄνομα τῇ πόλει Αἰλίαν αὐτὴν ὀνομάσας, ἐπειδὴ Αἴλιος Ἀδριανὸς ἐλέγετο. Qui si vera narravit, Hadrianus jam anno imperii tertio in Palæstinam venit, atque composita seditione coloniam Hierosolyma deduxit. Sed jam Eckhel. p. 497 huic opinioni fidem habendam esse negat, atque p. 452 in numis Judææ docet Hadrianum anno 883, antequam rebellio gliscens in apertum bellum exarsisset, in Palæstinam venisse, usus inprimis argumento ex numis Gazæ Judææ repetito, in quibus nova æra incipit ab anno 883 propter Hadriani adventum. Accedit Dionis auctoritas, qui non quidem annos ipsos hujus itineris et Judaici belli indicat, sed tamen aperte significat hæc omnia post dedicationem Olympici accidisse[9]. Neque per se probabile est Judæos primis imperii Hadriani annis rebellasse, quum neque ulla injuria provocati essent, et vires calamitatibus belli sub Trajano gesti exhaustas nondum refecissent. Sed quum Hadrianus ad eos venisset et deleto Hierosolymorum nomine Coloniam Æliam Capitolinam condidisset, id quod vix Judæis solito adulantium more in beneficii loco ponendum esse videbatur, atque præterea condito Jovis templo sacra eorum contaminasset; contumelia illa, animis jamdudum servitio Romanorum exulceratis illata, causa exstitit satis

8) Hoc quid sit non explicant interpretes. In glossis exponitur *quadra*.

9) Quod Henke (Allg. Gesch. der chr. Kirche I, p. 110) rebellionem Judæorum ad annum 127 (880) refert, id quibus rationibus adductus fecerit, nescire me fateor.

probabilis, cur internecinum bellum et exitiabile inciperent. Spartianus aliam hujus rebellionis causam affert; refert enim c. 14 Judæos movisse bellum, *"quod genitalia mutilare vetarentur."* Non nego, sed dubito. Non fuit enim hoc moris Romanorum, prohibere quo minus quisquam sua sacra haberet, dummodo ne publica sperneret. Jussit Hadrianus Judæos Romanorum sacra suscipere; ut sua omitterent, vix postulavit. Atque quod Tristan. Tom. I, p. 468 ex Digestis refert, circumcidere Judæis tantummodo suos filios rescripto Divi Pii permissum esse; qui vero in non ejusdem religionis hoc fecerit, illi castrantis poenam irrogari; id sententiam nostram confirmat potius quam labefactat; docet enim hic locus licuisse Judæis hunc morem retinere, dummodo ne alios homines aliarum gentium ad publica Romanorum sacra spernenda et Judaica suspicienda pellicerent.

Belli hujus historiam accurate perscribere, neque nostri consilii est, et fecerunt alii[10]. Tantummodo numos quosdam huc pertinentes breviter commemorabimus. Mionnet, V, p. 562 exhibet numos ad rebellionem spectantes, inscriptos quarto anno redemptionis Sion. De numis Trajani a Barchocheba sub Hadriano recusis et matrice Simeonis Maccabæi impressis vide Eckhel. in numis Judææ p. 471 sqq. Victorias Romanorum de Judæis quum in Palæstina tum in Ægypto et Libua tumultuantibus testatur judice Zoega p. 152 numus Hadriani Alexandrinus cum nota anni κ′ sive vicesimi in quo imperator quadrigis vectus a Victoria pone adstante coronatur. Qua in re verum vidit; sequitur enim ex iis quæ mox disseremus, annum Alexandrinorum vicesimum initium cepisse a. d. IV Cal. Sept. anni 888, quo anno rebellionem

10) Fr. Münter, Der jüdische Krieg unter Trajan u. Hadrian, Alton. 1820.

Judæorum compressam esse diximus. Pag. 158 ap. eundem inter numos Alexandrinos Hadriani, quorum annus detritus est, duo sunt victorias Romanorum testantes, alter exhibens arcum trium fornicum, supra quem imperator quadrigis vectus; ante pedes equorum duo captivi; alter exprimens arcum triumphalem unius fornicis.

Hierosolymorum loco Coloniam Æliam Capitolinam ab Hadriano conditam esse Jovisque cultum institutum, jam supra e Dione narravimus. Sub Constantino demum Hierosolymorum nomen recuperavit, ita tamen ut adhuc retineret nomen Æliæ. Eusebius Hist. Eccl. l. II, c. 12: ἐν προαστείοις τῆς νῦν Αἰλίας; et l. IV, c. 20: ἐν τῇ κατὰ τὴν Αἰλίαν βιβλιοθήκῃ. Cives dicti sunt Αἰλιῶται. Scaliger ad Euseb. Chron. p. 217 observat unum numum Hadriani inscriptum esse Αἰλιωτῶν et alium Αἰλιώτης. Conditorem Hodrianum agnoscit hæc urbs in numo ap. Eckhel. p. 442 in numis Judææ, et ap. Mionnet. V, p. 516, cujus av. inscripta est: *Col. Æl. Capit. Cond.;* antica: *Imp. Cæs. Trajano Hadriano.* Typus est colonus arans pone signum militare. Ad hunc typum in condendis coloniis explicandum pertinet locus Ciceronis Philipp. II, c. 40: "Tu autem insolentia elatus omni auspiciorum jure turbato Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, ut aratrum circumduceres." Ad quem locus Grævius e Varrone l. IV laudat hæc verba: "Oppida condebant in Latio Hetrusco ritu multa, i. e. junctis bubus, tauro et vacca interiore aratro circumagebant sulcum"; tum e Catone: "Qui urbem novam condit, tauro et vacca aret; ubi araverit, murum faciat; ubi portam vult esse aratrum sustollat et portet ut portam vocet." Servius ad Æn. V, 755 e Catonis Origg.: "Conditores civitatis taurum in dextram, vaccam intrinsecus jugebant, et incincti ritu Gabino, i. e. togæ parte caput velati, parte succincti, tenebant stivam incurvam, ut glebæ omnes

intrinsecus caderent, et ita sulco ducto loca murorum designabant, aratrum suspendentes circa loca portarum." Ap. Mionnet, Tom. I, p. 19, exstat numus inscriptus *Col. Julia. II vir,* cum bubus aratro junctis.

Jovis cultum testantur numi Æliæ Capitolinæ ap. Eckhel. p. 442 in numis Judææ, cum typo templi, in quo Jupiter seminudus sedet adstantibus Pallade et Junone; tum alius ap. eundem et ap. Mionnet. V, p. 518 repræsentans aquilam expansis alis insistentem fulmini. Atque in seriora quoque tempora perdurasse hunc cultum, testantur numi M. Aurelii, Diadumeniani, quin Herennii Etrusci et Hostiliani ap. Mionnet. p. 519—522. Etiam aliorum deorum cultum testantur numi. Ita in numo Æliæ Capitolinæ sub Severo ap. Eckhel. p. 443 apparet templum quatuor columnarum, intra quod tria idola cylindri specie, i. q. ad Venerem sive Astarten spectat. Huc pertinent numi Æliæ Capitolinæ sub Antonino, repræsentantes Astarten, stantem in templo quatuor columnarum. Alii typi ap. Eckhel. et Mionnet. l. l. sunt Serapis, Sol, Bacchus, et interdum Dioscuri. Etiam in aliis Judææ urbibus horum deorum cultum testantur numi; ita Tiberias Galilææ ap. Mionnet. V, p. 485 in duobus numis habet Astarten, in uno Jovem; Anthedon ap. eundem p. 523 in duobus Astarten; Gaza ap. eundem sæpius Astarten[11]. Addam denique monstri causa numum, quem Scaliger p. 217 in notis ad Euseb. Chron. ita describit. Antica inscripta est: Αὐτ. Καῖσαρ Ἀδριανὸς Αὔγουστος. Aversæ typus est templum sex columnarum; in medio Jupiter d. fulmen, s. sceptrum et aquilam, adstantibus ad dextram partem Minerva et Mercurio, ad sinistram Marte et Venere; præterea duæ aliæ species in gradibus templi sedentes. Aversa inscripta

---

[11]) Etiam Adonidis et Serapidis cultum per Judæam ab Hadriano institutam fuisse, docet F. Münter, p. 91.

est: Διὸς ναὸς Ἱερουσαλήμ. Totum habes Olympum; neque immerito dubitat Scaliger, num genuinus sit numus.

Ex Spartiano supra narravimus Hadrianum e Syria vel Palæstina, antequam in Ægyptum veniret, in Arabiam se contulisse, atque hanc peragrasse. Verum hujus itineris nulla alia exstant testimonia præter duos numos ap. Eckhel. p. 492, quorum alter inscriptus est: *Adventui Aug. Arabiæ*, alter *Restitutori Arabiæ S. C.* Numos in quibus urbs Petra Arabiæ Hadrianam se profiteatur, jam commemoravimus. De tempore hujus itineris nulla potest dubitatio esse. Sequitur enim ex iis, quæ supra disputavimus, ut in annum 883 vel 884 incidat. Totam Arabiam ab Hadriano peragratam fuisse vix credibile est, sed tantummodo boreales regiones.

Caput XI.

Diximus Hadrianum e Syria per Judæam et Arabiam anno 883 vel 884 in Ægyptum venisse. Adventum testantur quatuor numi ap. Eckhel. p. 488 sq., primus inscriptus *Ægyptus*, secundus *Alexandria*, tertius *Alexandria S. C.* cum typo a priore plane diverso, quem tamen, quum nihil ad rem faciat, omisimus; quartus *Adventui Aug. Alexandriæ S. C.*, vel cum solito typo, vel exhibens Hadrianum et Sabinam jugatos stantes, manus porrigentes Serapidi et Isidi ara intermedia jugatis. Scaliger denique in notis ad Hieron. Chron. p. 209 laudat numum Hadriani inscriptum: *Restitutori Ægypti.* His addendi videntur duo numi ap. Eckhel. p. 499, alter inscriptus *Nilus*, alter *Nilus S. C.* Verum in omnibus his numis nihil est, unde colligere liceat, quo anno Hadrianus in Ægyptum venerit, neque negamus illos.

si Hadrianus jam antea apud Ægyptios fuerit, qua de re postea disputabimus, probabilius ad priorem illum adventum esse retrahendos. Sed Hadrianum re vera sub finem anni 883, vel saltem ante elapsum mensem Augustum anni 884 in Ægyptum venisse, docet Eckhel p. 489 sqq. inprimis ex tribus numis Hadriani Alexandrinis cum notatione anni ιε′ sive quinti decimi, qui annus Alexandrinorum secundum Alexandrinorum calculum incepit anno U. C. 883 neomenia Thot, sive a. d. IV Cal. Sept. Alexandrini enim, teste Eckhelio in numis Alexandrinis p. 42, annos imperatorum ita numerabant, ut, quocunque tandem anni tempore hi imperium suscipiebant, annus eorum β′, sive secundus semper duceretur a proxima neomenia Thot; dies vero præcedentes conficerent annum α′ sive primum, plerumque mancum, sæpe paucorum tantummodo dierum. Itaque quum Hadrianus a. d. III Id. Aug. anni 870 imperium susciperet, primus imperii annus juxta computationem Alexandrinorum non fuit nisi novendecim dierum; unde factum est ut rarissimi sint numi ejus Alexandrini cum anni nota α′. Ap. Zoegam tantummodo octo tales reperiuntur. Sed redeamus ad numos illos Alexandrinos cum notatione anni ιε′, qui exstant ap. Eckhel. in numis Alexandrinis p. 64. Quorum typos, quum ex iis inprimis adventus concluditur, accuratius describendos censuimus. Primus repræsentat Genium muliebrem Alexandriæ, capite elephanti exuviis tecto et veste succincta adstantem; s. demissa spicas tenet, apprehensam d. adstantis imperatoris togati dextram manum exosculans. Tres tales vel eosdem vel similes habet Zoega in numis Alex. no. 300, 301, 302. Alterius typus ap. Eckhel. est idem Genius s. vexillum tenens, dextram, qua spicas tenet, cum adstante eodem cultu imperatore jungens. Similem vel eundem habet Zoega no. 303. Tertio numo ap. Eckhel. exhibetur idem Genius oleæ ramum protendens, impe-

ratori quadrigis advecto occurrens. His addam numos ap. Zoegam in numis Alex. p. 131 cum ejusdem anni nota. Primo, no. 299 repræsentatur Hadrianus togatus, laureatus, stans in quadrigis triumphalibus, s. tenens sceptrum cum aquila, d. elata velut acccepturus coronam, quam illi porrigit supervolitans Victoria; e regione stat Genius Alexandriæ, veste succincta, capite elephantinis exuviis tecto d. adversus imperatorem tollens, s. palmæ ramum gerens. Ita porro in sequentibus numis cum ejusdem anni nota usque ad n. 311 semper repræsentatur Hadrianus vel quadrigis triumphalibus vectus, muliere obviam eunte, vel sacra ad aram faciens, in quibusdam triremis vel Isis velifica et Pharus[1]. No. 309 exhibetur Serapis sedens, d. extendens super globum columellæ impositum, s. tenens hastam; Isis ante eum stans et sistrum tenens, velum utraque manu explicat; pone adstat Ceres tædam gerens. Unum adhuc addam ap. eundem cum nota anni ιδ', in quo Alexandriæ Genius imperatori obviam it, quadrigis vecto. Alius no. 292 cum ejusdem anni nota exhibet delphinum tridenti obvolutum, quo typo vulgo statuunt significari ludos navales. Sunt quibus duobus his numis indicari videatur exspectatus Hadriani adventus. Nobis non utique necesse esse videtur ut exspectationem statuantur exprimere, sed rem factam. Nam annus Alexandrinus ιδ' sive quartus decimus incepit a. d. IV Cal. Sept. anni 882, et desiit eodem die anni 883. Itaque si hi numi adventum Hadriani non exspectatum sed jam factum exprimere statuuntur, patet im-

[1]) Quamquam haud raro Isis velifica et Pharus repræsentantur in numis Alexandrinis, qui propter anni notas non admittunt hanc explicationem, videtur tamen hoc loco typus ille ad adventum Hadriani spectare. Tristan Tom. I, p. 507 Isidem velificam cum Pharo in numis Hadriani ita explicat, ut statuat eam Hadriano offerre auxilium in omnibus expeditionibus maritimis et in rebus ad mercaturam frumentariam pertinentibus.

peratorem venisse Alexandriam sub finem mensis Augusti anni 883, ita tamen ut nondum annus Alexandrinorum quintus decimus initium cepisset, id est, ita ut saltem quatuor vel quinque dies mensis Augusti superessent. Hinc fieri potuit ut in paucis numis adventus tempus exprimeretur per ιδ' sed in plerisque per ιε'. Si maturius venisset, vel initio anni 883 vel verno tempore, ita ut ex anno Alexandrino quarto decimo adhuc semestre fere tempus superesset, vix unus numus anni Alexandrini quinti decimi adventum ejus expressisset, sed omnes numi adventum significantes notam anni ιδ' gessissent. Nam præter duos illos, quos supra laudavi, modo tres inveni ap. Mionnet. cum nota anni ιδ' qui adventum significare videantur, quorum unus p. 172 exhibet Dioscuros et duo Isidem Phariam cum sistro, velum vento inflatum tenentem. Sed quum p. 55 docuerimus Hadrianum non ante finem mensis Aprilis anni 883 Roma digressum esse, omnia inde pendent, utrum verosimile sit potuisse imperatorem quatuor mensium æstivorum tempore Græciam Asiam, Syriam, Palætinam, Arabiam paragrare, et passim per urbs templa dedicare. Nobis fieri posse videtur; nihil tamen affirmamus, præter hoc unum, Hadrianum ante finem mensis Augusti anni 884 in Ægyptum venisse; utrum jam eodem tempore anni 883 venerit, id nunc expediri nequit. Ad annum Alexandrinum quintum decimum pertinent testimonia fere omnia. Ex numis Hadriani Alexandrinis hujus anni ap. Zoegam tantummodo tres sunt, qui ad adventum imperatoris non spectent, no. 308, 312, 313. Etiam numi Sabinæ Alexandrini, ap. Zoegam p. 159, no. 4 et 5, quorum typus adventum significet, notam anni ιε' gerunt[2]. Unum argumentum ad tempus adventus constituendum, quod

[2]) Numos cum nota anni ιε' Hadriani adventum significantes, partim ex Zoega desumptos vide sis ap. Mionnet. VI, p. 172—176.

ex morte Antinoi et numis Antinoi herois desumitur, differendum censuimus, ne disputatio de Antinoo divellatur, hoc unum monentes nullum numum Antinoi herois reperiri ante annum Alexandrinum ιε' sed ex illo tempore satis frequentes.

Jam vero quærendum est, quamdiu Hadrianus apud Ægyptios remanserit. Pocockius p. 82 sqq. plures exhibet inscriptiones cruri Memnonis inscriptas, ex quibus pateat Hadrianum cum Sabina et aulæ ministris statuam Memnonis adiisse, terque sonum ejus audiisse. Ex his duæ sunt maxime memorabiles, quum tempus hujus itineris accurate definiant. Altera p. 83 Artemidorus profitetur se adiisse Memnonem anno quinto decimo Hadriani Cæsaris, domini sui. Altera opponam ex Dorvillii Charit. p. 524 ed. Lips., ubi emendatior legitur:

Ἔκλυον αὐδήσαντος ἐγὼ Πόβλιος Βαλβῖνος
Φωνὰς τὰς θείας Μέμνονος ἢ Φαμένωρ.
Ἦλθον ὁμοῦ δ' ἐρατᾷ βασιληΐδι τῇδε Σαβίνᾳ,
Ὥρας δὲ πρώτας ἅλιος ἔσχε δρόμον,
Κοιράνῳ Ἀδριανῷ πέμπτῳ δεκάτῳ ἐνιαυτῷ.
Ἄματα δ' ἔσχεν Ἄθυρ εἴκοσι καὶ πίσυρα.
Εἰκοστῷ πέμπτῳ ἄματι μηνὸς Νοέμβριος (sic. leg. Νοεμβρίου).

Habemus igitur non solum annum sed et mensem et diem, quo Hadrianus et Sabina Memnonis statuam adierint; nam quod Buherius l. l. ap. Dorvill. adnotat, mensem Athyr initium capere die duodetricesimo mensis Octobris; itaque diem vicesimum quartum mensis Athyr non posse in diem vicesimum quintum mensis Novembris incidere, id levissimum est. Verum major exoritur difficultas, utrum annus ille quintus decimus sit Tribuniciæ potestatis an Alexandrinus. Illud si statuimus habemus annum 884, si hoc, 883. Atque ut illud statuam, inprimis moveor nominibus eorum, qui has in-

scriptiones posuerunt. Una posita est a Sabina ipsa, una a Flaviano Philippo, una a Publio Balbino. Artemidori nomen Græcum est, verum fuit haud dubie etiam ille e ministris et comitibus Hadriani. Jam non verosimile est, Romanos homines, quod in Ægyptum venissent, relicto solito more annorum Hadriani juxta Trib. Pot. computandorum, Alexandrinum calculum adoptasse. Præterea quum ex numis, quos jam describam, constet Hadrianum satis diu apud Ægyptios remansisse, probabile est illum, si vel ultimis diebus mensis Augusti anni 883 in Ægyptum venerit, id quod tamen dubitandum videtur, aliquamdiu ex molestiis itineris requievisse Alexandriæ, quam urbem præ cæteris adamavit multisque beneficiis ornavit; atque serius demum in superiorem Ægyptum excurrisse. Duo numi Alexandrini ap. Zoegam p. 134, no. 333. a. et b. cum nota anni ιστ' sive 884—885 exhibent imperatorem in quadrigis triumphalibus, atque alius no. 334 cum nota anni ιζ' sive 885—886 in quadrigis elephantorum. Mionnet p. 181 aliam habet ejusdem anni, in quo imperator conspicitur quadrigis triumphalibus vectus. Jam vero quum elephantus in numis pro ludorum symbolo habeatur, videtur Hadrianus adhuc anno Alexandrino septimo decimo sive 885—886 apud Ægyptios commoratus esse, ita tamen ut discessum pararet; qui nobis quidem indicari videtur numo ejusdem anni ap. Zoegam no. 339, in quo repræsentatur Isis gradiens, ambabus manibus velum explicans; e regione Pharus in cujus vertice simulacrum hastatum, d. sustinens globum; infra Tritones buccinas inflantes. Zoega quidem in longa nota subjecta disputat de Iside Pharia, velificii inventrice, de Isidis transfretatione Byblum ad Osiridis corpus inveniendum, de Isidis novigio [3] Corinthi

---

[3]) De Isidis novigio vide accuratam descriptionem Apuleji, Metamorph. l. XI.

atque Romæ, et sine dubio etiam Alexandriæ celebrato, de imperatoris discessu nihil. Nos quid de talibus typis universalibus, interdum, ubi res ferret, ad rem certam quandam designandam detortis, statuamus, jam significavimus. Similiter explico numum ejusdem anni ap. Mionnet. p. 180, in quo Dioscuri stantes habitu militari cum chlamyde, supra capita singula singulæ stellæ; atque alium similem ap. eundem p. 184 cum nota anni ιη'. Patet igitur ex tribus his numis collatis Hadrianum sub finem demum anni Alexandrini septimi decimi discessum parasse, atque ita distulisse, ut unus numus anni Alexandrini duodevicesimi discessum significare posset. Itaque non ante exitum mensis Augusti anni 886 discessit, quæ opinio etiam aliis argumentis confirmatur. Discessit enim, ut postea docebitur, ad bellum Judaicum, quod initium quidem cepit anno 885, sed neglectum est a Romanis, donec multis cladibus didicissent non spernendos esse hostes illos diu servorum numero habitos. Sub finem demum anni 886 intellexit Hadrianus, bellum tam grave et periculosum exigere ut ipse vel præsens vel saltem in vicinia adesset, quare ex Ægypto digressus in Syriam se contulit.

Eckhel. p. 489 ex Vopisco doceri posse arbitratur, Hadrianum adhuc anno 888 in Ægypto fuisse. Ille enim in Vita Saturnini p. 233 Bipont. ex libris Phlegontis, Hadriani liberti, affert epistolam ab Hadriano ad Servianum Consulem, brevi ut videtur post discessum ex Ægypto datam; quam epistolam Eckhel. statuit non ante annum 888 scriptam esse, quum in ea L. Ælium Verum filium appellet, qui non ante 888 adoptatus sit. Quod epistolam brevi post Hadriani ex Ægypto discessum scriptam esse statuit, verum vidit. Narrat enim Hadrianus, totam se Ægyptum, quam Servianus laudasset, didicisse levem, pendulam, ad omnia famæ momenta volitantem. "Alexandriæ, inquit, ego cuncta concessi,

vetera privilegia reddidi, nova sic addidi, ut præsenti gratias agerent. Denique ut primum inde discessi, et in filium meum Verum multa dixerunt, et de Antinoo quæ dixerunt, comperisse te credo." Patet imperatoris animum levitate et improbitate Alexandrinorum vehementer fuisse offensum, neque probabile est illum diu querelas suas retinuisse sed statim in amici sinum effudisse. Jam si L. Verus non ante annum 888 adoptatus est, sequi videtur ut epistola, in qua filius ab Hadriano vocetur, non possit ante hunc annum scripta esse; atque quoniam scripta est brevi post discessum ex Ægypto, nos errasse videmur, qui Hadrianum sub finem anni 886 inde digressum esse statuimus. Verum scripta est epistola anno 887; data est enim ad Servianum *Consulem*, qui anno 887 Consul tertium fuit cum Vibio Varo[4]. Itaque si initio anni 887 scriptam eam esse statuimus, non ultra trimestre spatium intercedit inter discessum ex Ægypto et epistolam datam; atque tamdiu poterat facile Hadrianus turbis belli Judaici impeditus epistolam de Ægyptiorum moribus differre. Ad comprobandum hanc epistolam non ut Eckhelio placet anno 888 vel 889 sed initio anni 887 scriptam esse, poterat quoque argumentum aliquod, cui tamen non multum confidimus, inde deduci, quod Hadrianus sub finem epistolæ significat se Paulinæ, sorori suæ, uxori Serviani, numera mittere. Hanc enim Dio Cassius p. 1160 significare videtur non diu post Antinoum mortuam esse, qui anno Alexandrino quinto decimo sive 883—884 periit. Refert enim dicteria in Hadrianum conjecta esse, quum ob honores divinos Antinoo habitos, tum quod Paulinæ sorori, fato defunctæ, initio nullum honorem habuisset; neque probabile est homines malevolos honores Antinoi et neglectum Paulinæ comparaturos fuisse si multi anni

---

[4]) Vide inscriptionem ap. Orell. II, no. 3462, ibique Orellium.

inter interitum Antinoi et mortem Paulinæ intercessissent. Sed quum verba illa Dionis: καὶ ὅτι Παυλίνῃ τῇ ἀδελφῇ ἀποθανούσῃ παραχρῆμα μὲν οὐδεμίαν τιμὴν ἔνειμεν, addita sint ex excerptis Valesianis, fortasse alieno loco, non multum tribuimus huic argumento.

At quod Eckhel contendit, L. Ælium Verum non ante annum 888 adoptatum esse, id videtur sententiam nostram de tempore epistolæ datæ convellere. Dixerim potius falli Eckhelium, atque ex ipsa epistola ad Servianum Consulem anno 887 data sequi, Lucium Ælium Verum jam tunc fuisse adoptatum, quum Hadrianus eum filium appellet. Neque repugnare videtur locus Spartiani in Vita Ælii Veri c. 3: "Adoptatus Ælius Verus ab Hadriano eo tempore, quo jam ut superius diximus, parum vigebat et de successore necessario cogitabat, statimque Prætor factus et Pannoniis dux ac rector impositus, mox Consul creatus, et quia erat deputatus imperio, iterum Consul designatus est." Anno 890 Consul nominatur L. Ælius Verus Cæsar. Jam ex hoc loco, si per se spectatur, potest hæc chronologia constitui: 887 L. Ceionius Verus adoptatur, statim Prætor fit et Pannoniis præficitur; 889 Consul designatur, quem Consulatum gerit 890; secundum Consulatum non gerit, quoniam ipsis Calendis Januariis anni 891 moritur; tres anni inter adoptionem et Consulatum primum interjecti consumuntur in Prætura et in Pannonia regenda. Sed in vita Hadriani c. 23 idem accuratius refert, Hadrianum tum demum quum in villa Tiburtina profluvio sanguinis pæne ad exitum venisset, Serviano quasi affectatori imperii mori coacto Lucium Verum adoptasse et Prætura ornatum Pannoniis præfecisse, decreto Consulatu, eundemque secundum Consulem designasse; illum autem præ valetudine ne gratias quidem in Senatu Hadriano de adoptatione agere potuisse, et accepta largius antidoto (id est medicamine, quoniam venenum non sumpserat)

per somnum periisse ipsis Calendis Januariis. Ex hoc loco sequitur, ut illud, quod de Prætura et Pannonia provincia et duobus Consulatibus narrat, intelligi debeat de magistratibus honorariis in ægrotantem et moribundum intra exigui temporis spatium effusis.

At remanet tamen error gravissimus, quod L. Verum post cædem demum Serviani, et post finita Hadriani itinera, Romæ adoptatum esse dicit; magis enim credendum est ipsius Hadriani epistolæ ad Servianum ex itinere datæ, in qua Hadrianus filium eum appellat. Video tamen Zumptium V. D. in Annalibus ad annos 888—891 post excidium Hierosolymorum scribere: "Romæ Hadrianus ægrotans Cejonium Commodum Verum, juvenem nobilem, pulchrum sed vitæ nimis amoenæ adoptat, eumque duobus Consulatibus et nomine Cæsaris evehit, sed nonnullos alios, suspiciosior et crudelior morbo factus, partim aperte partim clam tollit, inter quos ipsa Sabina uxor, mox Servianus, quondam sororis maritus, fuisse traduntur. Quum Ælius Verus Cæsar ipsis Cal. Jan. anni 891 subito morte decessisset, etc." Atque hæc sententia, qua adoptionem Veri Romæ demum ab Hadriano jam reduce factam esse statuit, gravissimis argumentis commendatur; causa enim adoptionis fuit ingravescens Hadriani valetudo, quæ post finita demum itinera accidit. Rursus non potest convelli auctoritas epistolæ, quam anno 887 scriptam esse docuimus. Videtur tamen hæc difficultas ita expediri posse, ut neque erraverit Spartianus neque labefactetur sententia nostra de tempore datæ epistolæ. Brevi dicam, quid sentiam: scripta est epistola anno 887 et L. Verus adoptatus est anno 889; nihilo tamen minus Hadrianus in ipsa epistola ante adoptionem filium eum appellat; quod juvenem pulcherrimum, adsiduum itineris comitem, paterno amore amplectebatur et filii loco habere consueverat.

Caput XII.

Ex epistola ad Servianum data patet Hadrianum inprimis Alexandrinis multa privilegia concessisse, sed de singulis nihil constat. Videtur inprimis Musei Alexandrini curam gessisse. Spartianus c. 20 refert imperatorem multas quæstiones professoribus in Museo proposuisse, et propositas ipse solvisse[1]. Constat multa commoda in hoc Museo viris doctis concessa fuisse. Strabo l. XVII, p. 503, Tzschucke.: τῶν βασιλείων μέρος ἐστὶ καὶ τὸ Μουσεῖον, ἔχον περίπατον καὶ ἐξέδραν καὶ οἶκον μέγαν ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ Μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν. Ἔστι δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ καὶ χρήματα κοινὰ καὶ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ Μουσείῳ τεταγμένος, τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νῦν δ' ὑπὸ Καίσαρος. Claudium imperatorem veteri Alexandrino Museo alterum ex suo nomine addidisse, refert Sueton. in Vit. Claudii c. 42. Museum illud Claudii commemorat Athen. l. VI, p. 421 Schweigh. Convictum professoribus datum ut publico sumptu alerentur commemorat inscriptio ap. Spon. Miscell. p. 362: M. Αὐρ. Ἀσκληπιάδην Ἀλεξανδρέα .... τῶν ἐν τῷ Μουσείῳ σιτουμένων ἀτελῶν φιλοσόφων. Philostratus p. 524 in Vita Dionysii: τὸ δὲ Μουσεῖον Αἰγυπτία τράπεζα συγκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους. Idem p. 532 In Polemone: κατέλεξε δὲ αὐτὸν καὶ τῷ Μουσείου κύκλῳ (mensam rotundam esse, ad quam vescerentur viri docti, observat Olearius) εἰς τὴν Αἰγυπτίαν σίτησιν. Dio Cass. p. 1293 et 1307 refert Caracallam Philosophos Aristotelicos ita odio habuisse, ut convictum et reliqua commoda, quibus in Museo

[1]) Chr. Dan. Beck, Welt- u. Völkergesch. II, p. 420, lepide observat: Man gab ihm weislich nach, weil er 30 Legionen zu Argumenten hatte.

Alexandrino fruerentur, tolleret. Hadrianum poetæ Ægyptio, Pancrati convictum in Museo Alexandrino concessisse, auctor est Athen. l. XV, p. 468. Huc pertinet inscriptio ap. Pocock., quam p. 50 laudavimus. Cæterum hoc loco non propositum est nobis Musei Alexandrini historiam accurate exponere; et quamquam ex ingenio Hadriani probabile est, multa beneficia eum in viros doctos, qui ibi alerentur, contulisse, tamen tacentibus scriptoribus cæterisque monumentis, nihil de singulis affirmare licet[2].

Hadrianum adhuc vivum et quidem primis imperii annis Alexandrinis pro deo cultum esse, indicare videntur numi. Eckhel. p. 64 describit numum Hadriani Alexandrinum cum nota anni γ', cujus typus est Hadrianus stans in templo distylo, d. ædiculam ante pedes positam contingens, s. hastam tenens. Zoega in eodem numo describendo habet pro Hadriano Jovem et pro ædicula clypeum, verum Mionnet. VI, p. 148 negat Jovi umquam in numis tributum esse clypeum, atque Zoega ipse suspicatur in descriptione numi errorem intervenisse, ut potius sit Hadrianus et ædicula vel ara. Eckhel et Zoega alium habent cum nota anni ζ' vel ιζ', in quo Serapis stans in templo distylo, s. hastam tenens d. elata protegit Hadrianum qui d. contingit ædiculam ante pedes positam et inscriptam Ἀδριανόν. Mionnet p. 180 duos tales habet. Similes Hadriani numos Alexandrinos cum typo templi et aliis annorum notis habet Zoega velut p. 107 no. 78 unum cum nota anni η', p. 129 no. 274 alium anni ιγ', et sic porro no. 460, 461, 462; præterea inter numos Antonini no. 40, 336, 358, 359; inter numos Faustinæ no. 40; quæ templa ille Hadrianea fuisse censet. Mionnet p. 199 quinque numos Hadriani

[2]) De Museo Alexandrino vide dissertationem Fr. Gronovii in Thesauro Antiqu. Græcc. Tom. VIII, p. 2750.

Alexandrinos habet anni κα'. Quum haud pauci numi præfecturarum Ægyptiarum sub Antonino cusi notam habeant anni η', Zoega p. 186 suspicatur templum hoc anno ab Antonino in honorem Divi Hadriani dedicatum occasionem dedisse ut præfecturæ velut ad publicam celebritatem convenientes in numis laudarentur. Templa in numis Antonini Ægyptiis frequentia sunt atque videntur ad divinos Hadriani honores spectare. Non tamen negamus, templa in numis Hadriani Alexandrinis interdum de templis ab Hadriano in dei alicujus honorem exstructis esse intelligenda. Ita Serapis dextram protendens super rotundum aliquid cippo impositum teste Zoega p. 189 sæpius occurrit in numis Hadriani ab anno inde XV. Propter numum Antonini no. 225, ubi figura rotundi illius distinctius efficta pro cortina tripodi imposita agnoscitur, suspicatur Zoega Serapidem, jam ante Alexandrum Magnum teste Plutarcho et Arriano arte vaticinandi celebrem, hic quoque repræsentari vaticinantem. Atque quum ab anno imperii Hadriani XV incipiant numi cum typo illo, nobis verosimile videtur, illo ipso tempore ab Hadriano institutum fuisse novum quid circa oracula Serapidis, fortasse novum templum Alexandriæ illi conditum. Sed affirmare nihil ausim tacentibus scriptoribus. Divinos honores Sabinæ habitos Zoegæ videtur significare numus p. 159 no. 4, cujus antica inscripta est Σαβεῖνα Σεβαστή, et aversa: Σαβεῖνα Σεβαστή. ιε'. Anticæ typus est caput Sabinæ cum solito ornamento, aversæ typus Sabina sedens cum proboscide in capite, d. spicas tenens, s. baculum. Ad quem typum Zoega observat, Alexandrinos, quum Hadrianum synthronum facerent Serapidi, uxorem ejus velut urbis Genium esse veneratos. Nobis repetita inscriptio dubium saltem movet. Sed sequens numus haud dubie probat id, quod Zoega numo quarto vult probari. Antica enim inscripta: Σαβεῖνα Σεβαστή exhibet Sabinam ad aram sacra facientem, s. gerit hastam, capite spolia elephantina. Hæc enim spolia, ut supra proboscis, faciunt eam urbis Genium. Aversa exhibet caput et nomen Hadriani. Numus Sabinæ ap. Eckhel. in numis Alexandrinis p. 65 cum nota anni ιγ' repræsentat eam sub specie Cereris.

Caput XIII.

Spartianus c. 14 narrat Hadrianum, dum per Nilum navigaret, Antinoum suum perdidisse atque muliebriter deflevisse. Hieronymi Chron. l. II ad annum 130: "*Antinous puer regius eximiæ pulchritudinis in Ægypto moritur, quem Hadrianus vehementer deperiens, nam in deliciis habuerat, in deos refert, ex cujus nomine etiam urbs appellata est.*" Casaubonus in notis ad Spartian. c. 20 testatur in laterculo inscriptum esse Ἀντινῷ μητρόπολις. In inscriptione ap. Murat. p. 1025, Marco Aurelio Severo Alexandro posita, occurrunt Antinoenses novi Græci: Ἀντινοέων νέων Ἑλλήνων, et ap. Spon. Miscell. p. 361 civis Ἀντινοεύς. Marmora Oxonn. p. 17 ed. anni 1732: Ἡλιόδωρον Ἀντινοέα καὶ Σμυρναῖον παγκρατιαστήν. Stephanus cit. ap. Salmasium in not. ad Spart. p. 38: Ἀντινόεια· πόλις Αἰγύπτου ἀπ' Ἀντινόου παιδός. τὸ ἐθνικὸν Ἀντινοεῖς, ἐκλήθη ἡ πόλις καὶ Ἀδριανοῦ πόλις. Ammian. Marcell. l. 22, c. 16: "*Thebais multas inter urbes, clariores aliis, Hermopolim habet et Copton et Antinoü, quam Hadrianus in honorem Antinoi condidit sui.*" Hieronym. adversus Jovinian. l. II, p. 51: "*Ut sciremus quales deos semper Ægyptus recepisset, nuper ab Hadriani Amasio urbs eorum Antinous appellata est.*" Photius, Biblioth. Tom. II, p. 535. b. Bekker, de Helladio: οὗτος ὁ συγγραφεὺς .... γένος μὲν Αἰγύπτιος

ἦν πόλεως δὲ τῆς Ἀντινόου ἢ ὡς αὐτὸς ἐπιγράφει Βησαντινόου. Ad hunc locum explicandum pertinet Ammian. Marcell. l. 19, c. 12: *"Oppidum est Abydum in Thebaidis parte situm extrema. Hic Besæ dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat."* Ad quem locum Wagnerus observat Besam deum fuisse minorum gentium, non nisi in singulis provinciis urbibusve cultorum. Ad nomen compositum Besantinoi explicandum Casaub. ad Spart. Hadr. c. 14 comparat similia: Hermeracles, Hermathena, Hermammon, Heraclammon; et Wagn. l. l. ex ipso Ammian. Marc. l. XVII, c. 4 Hermapion. Pausan. VIII, p. 375: ἐπὶ τῷ Νείλῳ πόλις Αἰγυπτίων ἐστὶν, ἐπώνυμος Ἀντίνου. Dio Cass. p. 1159: Ἐν τῇ Αἰγύπτῳ καὶ τὴν Ἀντινόου ὠνομασμένην ᾠκοδόμησε πόλιν. Ὁ γὰρ Ἀντίνους ... ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ἐτελεύτησεν, εἴτ' οὖν εἰς τὸν Νεῖλον ἐκπεσὼν, ὡς Ἀδριανὸς γράφει, εἴτε καὶ ἱερουργηθεὶς ὡς ἡ ἀλήθεια ἔχει. .... καὶ ἐκείνου ἀνδριάντας ἐν πάσῃ ὡς εἰπεῖν τῇ οἰκουμένῃ μᾶλλον δὲ ἀγάλματα ἀνέθηκε. Annotat Zoega p. 161 imagines Antinoi plerumque ad Mercurii similitudinem effingi, quod Antinoopolis condita esset in regione, peculiari religione dicata Anubidi, quem Latini Mercurium vocarent. Sed Pausan. VIII, 375 refert imagines Antinoi plerumque Bacchi speciem retulisse: Αἱ Ἀντίνου γραφαί εἰσιν αἱ πολλαὶ Διονύσῳ μάλιστα εἰκασμέναι. Atque Levezow, über den Antinous p. 85—99, exhibet statuas et imagines Antinoi Bacchi. Interdum tamen Antinoum Apollinis, Mercurii, Luni, aliorumque speciem retulisse, jam videbimus. Spanh. II, p. 332 duos numos affert, in quibus ut Bacchus repræsentetur. Eckhel. p. 530 præter numum Adramyttenum cum epigraphe: Ἀντίνοος Ἴακχος, alios habet inscriptos Νέῳ Πυθίῳ. Mionnet III, p. 625 inter numos Tarsi Ciliciæ quinque habet Antinoi herois; in uno epigraphe: Νέῳ Πυθίῳ, cum tripode et serpente, cortina et lauro; in uno Νέῳ Ἰάκχῳ, cum

cista mystica inter tres thyrsos; duo habent in antica lotum et stellam supra caput Antinoi. Unus Hadrianotheritarum numus, ap. Spanh. II, p. 335 et ap. Mionnet. II, p. 435, in quo exprimitur Apis cum lunula lateri impressa, inscriptus est Ἀντίνοος ἥρως ἀγαθός; et plurium urbium[1] numi habent epigraphen: Ἀντίνοος ἥρως vel Ἀντίνοος θεός, ad quæ Spanh. II, p. 333 observat illo tempore sublatum esse omne discrimen divini et heroici cultus. Antinoum inprimis Mantineæ divinis honoribus cultum esse, atque mysteria et certamina quinquennalia in ejus honorem instituta, significat Pausan. VIII, p. 375. Bithyniam enim Antinoi patriam olim Mantineenses coloniam deduxerant, ut apparet e Paus. l. l. Ludos illos Mantineæ habitos significat inscriptio Argis reperta ap. Boeckh. II, p. 580, in qua Ἀντινόεια ἐν Ἄργει καὶ Ἀντινόεια ἐν Μαντινείᾳ. Etiam Athenis hæc certamina instituta fuisse patet ex inscriptione ap. Boeckh. I, p. 362, quam p. 79 descripsimus. Præterea inscriptio ap. Osann, Sect. II, p. 305 et ap. Boeckh. I, p. 392, a Fourmontio Athenis reperta, habet l. 5 Ἀντινόεια ἐν ἄστει, et l. 7, Ἀντινόεια ἐν Ἐλευσεῖνι. Antinoea Eleusinia ad Antinoum Jacchum spectant, et commemorantur præterea in inscriptione Deliaca ap. Boeckh. II, p. 245. Sunt qui ludos Antinoeos numis significari statuant, in quibus intra coronam litera A solitaria legatur; quam literam quum vulgo explicent Ἄκτια, alii, Ἀντινόεια

---

[1]) Cyme Æolensium in Asia, Mionn. III, 11; Hadrianopolis Bithyniæ, id. II, p. 433; Nicomedia Bithyniæ, id. p. 465—479; Prusias ad mare vel Cium Bithyniæ, id. p. 493; Tium Bithyniæ id. p. 499; Ancyra Phrygiæ, id. IV, p. 221; Eucarpia Phrygiæ, id. IV, p. 290; Hierapolis Phrygiæ, id. IV, p. 302, Sala Phrygiæ, id. IV, p. 359. Typos omisimus, quum nihil singulare habeant. Statuas et imagines Antinoi *herois* exhibet Levezow, über den Antinous, p. 58—81. Idem p. 82 sqq. describit statuam qua repræsentatur Antinous tamquam δαίμων ἀγαθός.

legunt. Eckhel in numis Epiri p. 167 tales habet L. Ælii et Antonini; atque in Catalogo Mus. Cæs. Tom. I, p. 122 unum Argolidis sub Hadriano cusum. Atque Mionnet II, p. 245 inter numos Arcadiæ unum talem habet, quem tamen ille mavult ad Epirum referre. Literam A in numis Epiri explicari posse Ἄκτια, nemo negaverit, sed quid Ἄκτια in numo Argolidis? Eo magis miror, Eckhelium l. l. significare, non placere sibi sententiam eorum qui literam A Ἀντινόεια legant, et coronam putent esse Antinoiam. Ego vero non video quid aliud in numis Argolidis hæc litera significare possit, atque in numis Epiri ex illo tempore cusis eandem significationem huic literæ tribuendam arbitror. Nam etiam apud Epirotas Antinoi herois cultum institutum fuisse significat numus Nicopolitarum ap. Mionnet. Tom. II, p. 57 in numis Epiri, inscriptus Ἀντίνοος ἥρως; tum duo alii ejusdem urbis ap. Levezow: Ueber den Antinous p. 73 sq. inscripti Ἀντίνοον θεόν. Tristan I, p. 507 de numis Hadriani, litera A inscriptis, disputans coronam e loto compositam esse censet, et Antinoiam coronam esse vult, de qua vide Athen. XV, p. 467 Schweigh[2]. Coronam ipsam putat indicare Antinoum esse verum Osiridem sive Solem, quum corona illa radios solis

[2]) Ἐπεὶ δὲ Ἀλεξανδρείας ἐμνημόνευσα, οἶδά τινα ἐν τῇ καλῇ ταύτῃ πόλει καλούμενον στέφανον Ἀντινόειον, γινόμενον ἐκ τοῦ αὐτόθι καλουμένου λωτοῦ. φύεται δ᾽ οὗτος ἐν λίμναις, θέρους ὥρᾳ, καί εἰσιν αὐτοῦ χροιαὶ δύο, ἡ μὲν τῷ ῥόδῳ ἐοικυῖα. ἐκ τούτου δ᾽ ὁ πλεκόμενος στέφανος κυρίως Ἀντινόειος καλεῖται. ὁ δ᾽ ἕτερος λώτινος ὀνομάζεται, κυανέαν ἔχων τὴν χροιάν. Καὶ Παγκράτης τις τῶν ἐπιχωρίων ποιητής, Ἀδριανῷ τῷ αὐτοκράτορι ἐπιδημήσαντι τῇ Ἀλεξανδρείᾳ μετὰ πολλῆς τερατείας ἐπέδειξε τὸν ῥοδίζοντα λωτόν, φάσκων αὐτὸν δεῖν καλεῖν Ἀντινόειον, ἀναπεμφθέντα ὑπὸ τῆς γῆς, ὅτε τὸ αἷμα ἐδέξατο τοῦ Μαυρουσίου λέοντος. ὃν κατὰ τὴν πλησίον τῇ Ἀλεξανδρείᾳ Λιβύην ἐν κυνηγίῳ καταβεβλήκει ὁ Ἀδριανός. Cfr. Levezow über den Antinous p. 61 sqq.

imitetur. In alia simili corona ap. Gruter. p. 317 plene perscriptum est: Ἀντινόεια. Neque mirum est, Antinoi cultum ad Epirotas penetrasse, quum etiam Tibure reperta sit inscriptio, quæ Antinoum deum faciat:

Antinoo et Beleno par ætas formaque par est;
Cur non Antinous sit quoque qui Belenus.

Vide h. inscriptionem ap. Orell. no. 823, qui Tom. I, p. 349 laudat locum Herodiani, 8, 3: τὸν ἐπιχώριον θεὸν (οἱ κατοικοῦντες τὴν Ἀκυληΐαν) Βέλιν καλοῦσι, σέβουσί τε ὑπερφυῶς, Ἀπόλλωνα εἶναι ἐθέλοντες[3]. Atque Murat. p. 24 observat, Tertullianum (Apologet. c. 24) universo Norico hunc deum tribuere.

Sed ut pateat quibus locis inprimis cultus sit Antinous, pergamus colligere testimonia. Mionnet II, p. 160 habet numum inscriptum: Ὀστίλιος Μαρκέλλος ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἀντινόου τοῖς Ἀχαιοῖς ἀνέθηκε. Antica repræsentat caput nudum Antinoi, aversa Antinoum Mercurii habitu. Tabula marmorea in Museo Kempiano ap. Boeckh. I, p. 574 habet inscriptionem Ὀστίλιος Μαρκέλλος ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἀντινόου, fortasse ex numo illo desumptam. Huc pertinet Hegesippus ap. Eusebium, Hist. Eccl. IV, c. 8: Ἀντίνοος δοῦλος Ἀδριανοῦ Καίσαρος, οὗ καὶ ἀγὼν ἄγεται Ἀντινόειος ὁ καὶ ἐφ᾽ ἡμῶν γενόμενος. καὶ γὰρ καὶ πόλιν ἔκτισεν ἐπώνυμον Ἀντινόου καὶ προφήτας. Gruterus p. 86 exhibet inscriptionem: Ἀντινόῳ συνθρόνῳ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεῶν M. Οὔλπιος Ἀπολλώνιος προφήτης. Mysteria et oracula Antinoi commemorat Origenes adv. Cels. III, p. 132. Indignatur esse qui Antinoum Christo æquipararent; tum addit: εἴπερ φιλαλήθως καὶ ἀδεκάστως τὰ περὶ τὸν

[3]) De Apolline Beleno cfr. Reinesium, Syntagma inscr. p. 98 sqq.; Biagi. Monumm. Gr. et Lat. e Museo Naniano p. 168 sqq. Levezow p. 104 huc retrahit numum Corinthiorum in quo Antinous tamquam Sol capite radiato bigis vectus repræsentatur, Apollinem Belenum Solem fuisse statuens.

Ἀντίνουν ἐξετάζοι τις, μαγγανείας ἂν Αἰγυπτίων καὶ τελετὰς εὕροι τὰς αἰτίας τοῦ δοκεῖν τι αὐτὸν ποιεῖν ἐν Ἀντινόου πόλει καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ. ὅπερ καὶ ἐπ' ἄλλων νεῶν ἱστόρηται, ὑπὸ Αἰγυπτίων καὶ τῶν τὰ τοιαῦτα δεινῶν γεγονέναι, ἔν τισιν τόποις ἱδρυόντων δαίμονας μαντικοὺς ἢ ἰατρικοὺς .... ἵνα δοκοῖεν δειδίσσεσθαι τὸν πολὺν καὶ ἀπαίδευτον (quo territent imperitam multitudinem). τοιοῦτος δέ ἐστι καὶ ἐν Ἀντινόου πόλει τῆς Αἰγύπτου νομισθεὶς εἶναι θεός. ... τοιαῦτα δέ ἐστι καὶ τὰ δρώμενα αὐτῶν μυστήρια καὶ αἱ δοκοῦσαι μαντεῖαι. ὧν πάνυ μακράν ἐστι τὰ τοῦ Ἰησοῦ. Cfr. eundem V, p. 272; VIII, p. 384. Ap. Mionnet. II, p. 160 sequitur alius numus similis ei quem supra descripsimus, cum eadem antica et eadem epigraphe, sed typo aversæ aliquantum mutato. Ap. eundem p. 180 numus exstat, cujus antica eandem habet inscriptionem, quam marmor illud Kempianum, sed aversæ inscriptionem: Κορινθίων ἀνέθηκε adulteratam censet Mionnet. Si non esset adulterata, patet interpungendum fuisse post Κορινθίων, atque statuendum post ἀνέθηκε excidisse nomen ejus, qui statuam posuisset. Idem II, p. 245 habet quatuor numos fere similes, protomen Antinoi exprimentes, inscriptos: Βετούριος ἀνέθηκε τοῖς Ἀρκάσι. Idem II, p. 97 habet numum Delphorum cum tripode, inscriptum ἥρως Ἀντίνοος. Paciandi, Monumm. Peloponn. Tom. I, p. 100 describit basin marmoream, in cujus uno latere Hermionenses Sabinam venerantur; in altero latere legitur inscriptio: Ἀντινόῳ ἥρωι, νέῳ Ἀπόλλωνι, συνέδρῳ τῶν ἐν Ἑλλάδι θεῶν, μνημεῖον. Ἀρίσταινος καὶ Τείμαρχος οἱ Τειμάρχου, καὶ Ἀρίσταινος ὁ Ἀρισταίνου Ἑρμιονεῖς ἐκ τῶν ἰδίων ἀνέθηκαν. Notandum tamen est, usque ad nomina eorum qui posuerunt ex ingenio suppleta esse omnia præter literam ν in Απόλλωνι et ον in μνημεῖον, quare quamquam conjectura satis probabili statuitur alterum latus baseos, quum altero Sabinæ laudes prædicentur, continuisse honores Antinoi, non tamen singulorum verborum ingenii ope suppletorum omnino certa est fides.

Numus ap. Tristan. I, p. 547 anticam habet inscriptam: ἡ πατρὶς Ἀντίνοον θεόν; aversam: Βειθυνιῶν Ἀδριανῶν. Typus est Antinous, pastorali habitu, pedum et in aliis caduceum tenens, stella ante faciem posita, pedibus alatis, bove adstante. Patet, vel me non monente, Antinoum in hoc numo ad similitudinem Mercurii, Cyllenii pastoris, expressum esse. Ex Bithyniensibus Antinoum oriundum esse jam diximus. Duos similes numos habet Mionnet II, p. 417; unum Spanh. II, p. 332. Stella quæ etiam in multarum aliarum urbium numis herois Antinoi exprimitur, arguit Antinoum sideribus receptum. Huc pertinet Dio Cassius p. 1160: καὶ τέλος ἀστέρα τινὰ αὐτός τε (ὁ Ἀδριανὸς) ὁρᾶν ὡς τοῦ Ἀντινόου ὄντα ἔλεγε, καὶ τῶν συνόντων αὐτῷ μυθολογούντων ἡδέως ἤκουεν, ἔκ τε τῆς ψυχῆς τοῦ Ἀντινόου ὄντως τὸν ἀστέρα γεγενῆσθαι καὶ τότε πρῶτον ἀναπεφηνέναι[4]. Reimarus ad h. l. ex oratione Tatiani ad Græcos p. 41 observat, fuisse qui Antinoi animam luna receptam esse statuerent[5]. In duobus numis urbis Tii Bithyniæ ap. Levezow. p. 99 Antinous repræsentatur cum attributis Bacchi. Idem p. 100 sqq. describit sculptos lapides et numos Antinoum Mercurium repræsentantes. Tristan I, p. 551 habet numum Smyrnæorum inscriptum: Ἀντινόῳ ἥρωι. Σμυρναίοις Πολέμων ἀνέθηκε. Typus est bos, cujus statuam Tristan suspicatur Polemonem Sophistam faciendam curasse ad originem Antinoi Arcadicam indicandam. Concedimus, ita tamen ut bos alludat ad

---

4) Cfr. Julian. Cæs. p. 835, 38, et Suidam in παιδικά, citatos ap. Reimar. ad h. l.

5) Πῶς ὁ τεθνεὼς Ἀντίνοος μειράκιον ἐν σελήνῃ ὡραῖον καθίδρυται; τίς ὁ ἀναβιβάσας αὐτόν;

Antinoum Mercurium, Cyllenium pastorem. Mionnet III, p. 228 habet novem numos Smyrnæos Antinoi herois. Typus aversæ in tribus est bos, in duobus aries et caduceus, in uno panthera et thyrsus, id quod significat Smyrnæos non solum Antinoum Mercurium, sed etiam Antinoum Bacchum coluisse; in duobus prora navis, qui typus quid in numis Antinoi significet, parum capio; in uno repræsentatur Alexander sub arbore dormiens, capite clypeo imposito, adstantibus duabus Nemesibus. Risum movet Antinous Alexandro Macedoni collatus, deorum, quales tunc erant, utique similior. In numo trium populorum, Juliensium et Ancyranorum Phrygiæ et Salonitarum Bithyniæ ap. Tristan. I, p. 546 Antinoi statua repræsentatur cum attributis Dei Luni. Mionnet II, p. 423 habet numum Chalcedoniorum inscriptum in ant. Ἀντίνοος ἥρως, in av. Καλχαδονίοις Ἵππων; typus est Antinous gryphe vectus. Qui numus num idem sit, quem describit Spanh. I, p. 272, in quo repræsentatur Antinous Apollinis habitu cum lyra, gryphe vectus, nescio. Ex tribus numis Philadelphiæ Lydiæ ap. Mionnet. IV, p. 403, inscriptis Ἀντινόου ἥρωος, primus exhibet Fortunam, secundus Venerem in templo testrastylo stantem, tertius Antinoum ipsum in templo tetrastylo. P. 126 ap. eundem in duobus numis Sardium cum eadem epigraphe repræsentatur in primo Saturnus nudus stans, d. vas, s. infantem tenens, quem infantem Levezow p. 98 statuit esse Antinoum Bacchum Pyrigenem; in altero Apollo habitu foeminæ, lyram pulsans. Amisus Ponti in numo Hadriani ap. Mionnet. II, p. 345 repræsentat Antinoum nudum stantem habitu Mercurii cum caduceo. Quod mireris, etiam sub nomine Panis turpissimi dei cultus est Antinous pulcherrimus juvenis. Levezow p. 109 duos describit numos inscriptos Πανὶ Ἀντινόῳ. Idem p. 111 describit statuam, qua Antinous tamquam Ganymedes repræsentatur; atque Prudentius contra Symmachum I,

274, laudatus ap. eundem, Antinoum vocat Hadriani dei Ganymedem. Inscriptionem Marci Ulpii Apollonii, quæ Antinoum in concilium deorum Ægyptiorum receptum fuisse testatur, jam commemoravimus. Quæ quum Romæ juxta templum Isidis reperta sit, non immerito inde concludit Levezow p. 116, Antinoum tamquam deum Ægyptium, sive Anubidem sive Horpocratem, Romæ esse cultum. Duos numos Tarsensium cum loto et unum Hadrianotheritarum cum Api et lunula jam laudavimus. In Ægyptiis numis Antinoi herois, quos collegit Levezow p. 117 sqq., semper exprimitur lotus, quod signum est deorum Ægyptiorum proprium; interdum caduceus vel modius. Etiam in sculpto lapide ap. eundem l. l. exprimitur lotus. Statuas et signa Antinoi tamquam dei Ægyptii, quæ pleraque in villa Hadriani Tiburtina inventa sunt, videre licet ap. eundem p. 121 sqq.[6]

Caput XIV.

Quærendum est h. l. utrum jam ante annum 883 in Ægyptum venerit Hadrianus. Epiphanii errorem, qui Hadrianum jam anno imperii primo in Ægyptum profectum esse statuit, jam p. 1 refutavimus. Verum Hieronymi Chron. l. II ad annum 871 refert, Alexandriam a Romanis subversam, ab Hadriano publicis instauratam fuisse impensis. Hinc, quamquam Euseb. Chron. nihil de hac re ad hunc annum habet, fuerunt qui Hadrianum anno imperii secundo iter in Ægyptum suscepisse statuerent. Zoega p. 101 dubia movet contra narrationem illam de Alexandria a Romanis eversa et ab Hadriano

[6]) De Antinoo in universum cfr. Weberi sive rectius Snellii Antiquitates Antinoi, 1707.

instaurata. Lectionem nonnullorum, *a Judæis* pro *a Romanis* substituentium, confirmare videntur Dio Cassius, Spartianus, Eusebius, qui referunt Judæos non in Oriènte solum sed etiam per Ægyptum, sub Trajano et initio imperii Hadriani turbas civisse; et Syncellus qui p. 659 ed. Bonn. inter res ab Hadriano primis duodecim imperii annis gestas refert Hadrianum Judæos, in Alexandriæ cives tumultuantes ultum esse, id quod Syncellus videtur ad idem fere tempus referre, quo Hieronymus Alexandriam, a Romanis eversam, ab Hadriano instauratam fuisse narrat. Syncellus enim hanc ultionem Judæis inflictam in ipso initio narrationis ponit, et postea subjungit narrationem de remissis debitis, de urbibus Nicomediæ et Nicææ instauratis, de legibus Atheniensibus datis, de suscepto Patris Patriæ titulo. Sed quum idem brevi ante susceptum Patris Patriæ titulum referat Judæos per Ægyptum et Libyam diversis proeliis fuisse contritos, atque postea inter res ab Hadriano ultimis duodecim imperii annis gestas prolixiorem narrationem inserat de rebellione Judæorum duce Barchocheba facta, deque Judæorum in Ægyptum incursionibus, patet illum ex variis auctoribus, qui non omnes rerum ordinem accurate cognoverint, suas narrationes consarcinasse. Zoega ne totam illam Hieronymi narrationem de Alexandria a Romanis eversa, falsam esse statuat, pro *Alexandria* substituit *Hierosolyma*. Alexandriam enim neque a Romanis neque a Judæis fuisse eversam docet ex epistola Hadriani ad Servianum Consulem data, ap. Vopisc. p. 233 Bip., in qua imperator hanc civitatem opulentam, divitem, fæcundam vocet. Sed vanam operam suscepit Zoega, narrationes illas cum veritate rerum conciliare studens. Neque enim urbs Hierosolymorum, a Romanis duce Tito capta et eversa, primis imperii annis ab Hadriano fuit instaurata, sed sub finem demum imperii, quum Judæos duce Barchocheba rebellantes superasset, atque Hiero-

solymis solo æquatis Coloniam Æliam Capitolinam conderet, neque Alexandria secundo imperii anno ab Hadriano fuit instaurata. Atque quod Hadrianus Alexandriam opulentam vocat, id explicatur iis, quæ addit de artibus et opificiis, quæ tanto studio factitarent Alexandrini, ut per totam civitatem ne podagrosi quidem et cæci et chiragrici viverent otiosi, sed omnes quod agerent haberent. Itaque civitas opulenta esse poterat, sed suis quisque opibus fruebatur, de urbe ornanda neque cogitabat quisquam, neque ut tunc erant tempora, cogitandum sibi esse putabat. Hoc quod olim cives summæ sibi gloriæ esse putaverant, ut urbem communi sumptu ornarent, id nunc post sublatam libertatem imperatoribus et magistratibus relinquebant. Eversionem illam Alexandriæ a Romanis factam, quam commemorat Hieronymus si lectio sana est, quod equidem non dubito, illam statuo esse, quæ bellis Romanorum civilibus accidisset. Vestigia hujus eversionis, qua totam urbem deletam esse scriptorum nemo dixit, adhuc poterant Hadriani tempore superesse, quum propter vexationes magistratuum Romanorum, qui sub prioribus imperatoribus provincias suo arbitratu expilaverant, tum propter turbas Judæorum et seditiones domesticas. Verum errarunt scriptores, quotquot instaurationem Alexandriæ ab Hadriano factam ad annum 871 vel ad initia imperii retrahunt, si hoc ita dictum esse volunt, ut Hadrianum præsentem hanc urbem instaurasse statuant. Hadrianum enim neque primo neque secundo imperii anno in Ægyptum venire potuisse, sequitur ex iis quæ initio hujus libelli disputavimus. Beneficia quædam jam secundo imperii anno Hadrianum absentem in hanc urbem contulisse, fortasse pecuniam ad urbem ornandam esse pollicitum, non negamus; hæc beneficia, ut mos est adulantium, rumor ita ultra veritatem auxit, ut urbs jam tunc instaurata esse diceretur, quum tamen probabilius sit Hadrianum distulisse instau-

rationem, donec ipse coram adesset et adspectu beneficiorum a se dei instar in cives collatorum vanum ingenium pascere posset.

Probabilior est sententia eorum, qui Hadrianum anno 875 sive sexto imperii anno in Ægyptum venisse statuant. Chronicon Paschale ad hunc annum hæc habet: Ἀδριανὸς εἰς τὴν Αἴγυπτον παρεγένετο καὶ κτίζει τὴν Ἀντινόου τῆς Θηβαΐδος πρὸ γ′ Καλανδῶν Νοεμβρίου. Atque quamquam, ut diximus p. 100, idem liber refert Hadrianum jam secundo Consulatu Hierosolyma cepisse et Æliam Capitolinam condidisse, unde de fide ejus gravissima dubitatio merito oritur; tamen huic sententiæ, qua Hadrianus jam sexto imperii anno in Ægyptum venisse dicitur, momentum aliquod addit Spartianus; refert enim Hadrianum quum e Britannia in Galliam rediisset, id quod p. 19 docuimus medio fere anno 874 factum esse, Alexandrina seditione ob Apin nata turbatum fuisse. E Gallia Hadrianum in Hispaniam transiisse diximus, ibique hiemasse; deinde verno tempore anni 875 in Mauretaniam esse profectum; hinc post commorationem dimidii fere anni in Parthiam esse transgressum, unde per Asiam et insulas in Achaiam navigaret et Eleusinia sacra susciperet. Jam igitur hoc iter e Mauretania in Parthiam facile poterat ita instituere ut per Alexandriam et Ægyptum eo veniret; atque non poterat solum, sed probabile est eum ita fecisse. Romam enim non rediisse Hadrianum e Mauretania diximus p. 28. Quare quum non admodum probabile sit eum per Achaïam et Asiam in Parthiam profectum esse, quoniam per has provincias redire constituerat, nulla alia itineris in Parthiam e Mauretania instituendi ratio relinquitur, quam ut vel maritimo itinere per mare mediterraneum in Syriam navigaret, vel itinere terrestri totam oram borealem Africæ peragraret atque per Ægyptum, Palæstinam, Syriam in Parthiam contenderet. Atque seditio illa ob

Apin mota videtur illum, si tempus suppeteret, movere potuisse ut potius per Ægyptum proficisceretur, quam itinere maritimo Parthiam peteret. Scilicet si vel sedata nuntiaretur seditio, id quod suspicor; non enim probabile est illam ultra annum durasse; tamen consentaneum est Hadrianum, curiosissimum principem, ipsum inspicere voluisse, num sedata esset, atque reliquias turbarum, si quæ superessent, præsentia sua tollere. Atque si vel commodius putaret, maritimo itinere uti, tamen probabile videtur, illum ad Ægyptum appulisse ibique aliquamdiu, saltem dies aliquot, remansisse. Maritimo itinere Hadrianum in Ægyptum venisse, ostendere videtur numus Hadriani Alexandrinus ap. Zoegam p. 105 cum nota anni στ′ et typo navis velis explicatis; tum alius Sabinæ ap. eundem p. 159 cum ejusdem anni nota et typo Isidis velum explicantis. Zoega provocat ad similem numum Alexandrinum Neronis p. 27, inscriptum Σεβαστοφόρος, cum typo navis velis expansis iter per undas facientis. Annus Alexandrinus sextus incipit a. d. IV Cal. Sept. anni 874, exiturus eodem die anni sequentis. Venit igitur Hadrianus in Ægyptum ante elapsum mensem Aug. anni 875. Quod si verum est, huc retrahendi sunt numi Alexandrini, quos p. 20 descripsi[1].

Non tamen poterat commoratio illa apud Ægyptios admodum diuturna esse. Navigationem enim per insulas maris Ægæi ad annum 876 referendam esse docuimus. Hinc ob brevitatem commorationis factum esse videtur,

[1]) Itinerarium Hadriani a Zoega p. 94 sqq. ita instituitur: Gallia cum Germania et Britannia, Hispania, Mauretania, Roma, Ægyptus, Asia, insulæ, Achaia, Athenæ, Sicilia, Roma. Tum absoluto primo illo orbis Romani circuitu, Moesia, Africa, Roma, Achaia, Asia, Syria, Ægyptus, Palæstina, Roma, ubi moritur a. d. VI Id. Juliar. 891.

ut nonnulli scriptores priorem illam profectionem per Ægyptum omnino ignorarent, alii ad falsum tempus, ad primum vel secundum imperii annum retraherent, alii denique, ut scriptores qui priorem profectionem commemorassent, posteriorem omisissent, cum illis conciliarent, qui priore commoratione non commemorata de posteriore uberius exposuissent, non nisi unam profectionem statuerent, ad quam referrent omnia, quæ Hadrianus apud Ægyptios gessisset. Itaque Antinoi mortem et Antinoopolin in ejus honorem conditam nonnulli ad priorem illam profectionem retulerunt, quum tamen non constet, num Hadrianus jam tunc Antinoum itineris comitem haberet, atque ex Spartiani et Hieronymi verbis atque ex numis constet, has res ad seriorem illam profectionem pertinere. Locum Hieronymi, qui Antinoi mortem et apotheosin, et urbem Antinoopolin conditam ad annum p. Chr. 130 sive ad annum U. C. 883 refert, jam p. 117 laudavimus. Atque Spartianus c. 14, qui priorem Hadriani profectionem in Ægyptum ignorat, manifesto significat mortem Antinoi se referre ad illam commorationem apud Ægyptios, quum Hadrianus post dedicatum Olympieum per Asiam, Palæstinam, Syriam, Arabiam in Ægyptum venisset, id quod p. 104 sqq. docuimus vel anno 883 vel 884 factum esse. Nobiscum facit Eckhel qui in numis Antinoi Alexandrinis p. 536—539 anno 883 Antinoum mortuum esse atque inter deos receptum statuit, propterea quod nullus numus Alexandrinus Antinoi herois inveniatur ante annum ιε' sed ex illo tempore satis frequentes. Unus tantummodo numus Antinoi herois, igitur post mortem ejus cusus molestias facessit, quum habeat notationem anni τρισκαιδεκάτου, qui annus Alexandrinus incepit exeunte mense Augusto anni 881, unde sequi videtur Antinoum saltem ante finem mensis Augusti anni 882 mortuum esse. Eckhel hunc numum spurium censet, inprimis quod sic plene perscribat

τρισκαιδεκάτου contra omnia alia exempla, quum cæteri omnes numi Alexandrini Antinoi herois seriorem notationem temporis habeant, velut ιη', ιθ', κ', κα'. Attamen magnus numerus numorum Hadriani Alexandrinorum ap. Zoegam p. 107—112 plene perscribunt ἐνάτου, δεκάτου, ἑνδεκάτου, et p. 127 δωδεκάτου. Neque Zoega p. 161, neque Mionnet VI, p. 205, qui eundem numum, inscriptum τρισκαιδεκάτου habent, de illo dubitare videntur. Sed quum p. 44 sqq. docuerimus Hadrianum ab initio anni 880 ad initium fere mensis Maji anni 883 Romæ commoratum fuisse, ita tamen ut per eadem tempora in provinciam Africam, non vero in Cyrenaicam et Ægyptum, excursionem faceret, sequitur vel numum illum inscriptum τρισκαιδεκάτου spurium esse, quoniam indicare videtur Antinoum jam anno Alexandrino tertio decimo sive 881—882 in Ægypto periisse atque inter deos relatum esse, vel notam temporis aliter explicandam esse. Utram sententiam sequar, dubius hæreo; hoc video, argumentum illud ab Eckhelio allatum, quo ille numum spurium judicandum esse censeat, parum valere. Est fortasse spurius, sed ad id probandum aliis argumentis opus est, ex contemplatione numi ipsius petitis; quæ quum nobis non possit contingere, videndum an ita explicare liceat notam temporis, ut numus genuinus esse possit, atque cum veritate rerum consentire. Suspicor igitur, id quod postea uberius explicabitur ubi de numis Alexandrinis ad decennalia Hadriani celebranda cusis sermo erit, notam anni τρισκαιδεκάτου non de anno Alexandrino tertio decimo, sed de anno Trib. Pot. XIII esse explicandam. Hic enim annus Trib. Pot. incepit circa dimidium mensis Aug. anni 882; si igitur Antinous medio mense Aug. anni 883 mortuus est, sequitur numum Antinoi herois potuisse anno Trib. Pot. XIII notari.

Sed videndum est de opinione Zoegæ, qui mortem Antinoi juxta Chron. Pasch. ad annum 875 retrahit.

Præter auctoritatem Chronici Pasch., de cujus fide diximus quid statuendum esse censeamus, Zoega p. 161 argumentum habet desumptum ex tribus numis Alexandrinis Antinoi herois in Museo Cæsareo, quos Eckhel. nota anni θ' inscriptos ediderat. Sed hoc argumentum Eckhel postea in Doctr. num. vet. ei detrahit, errasse se in anni nota professus. Ubi enim primum θ' legerat, postea vidit legendum esse ιε'. Scilicet in numis ævo detritis et corrosis facile fieri potest, ut formæ literarum Θ et Є confundantur atque litera I elidatur. Quod de tribus illis numis ap. Eckhel. e Museo Cæsareo valet, idem statuo de quarto numo ap. Zoegam p. 161, no. 3, inscriptum Ἀντίνοος ἥρως (in Echhelianis est Ἀντινόου ἥρωος) cum nota anni θ', cæterum præcedentibus numis ex Museo Cæs. similem. Mionn. quidem VI, p. 205 unum ex numis illis Eckhelianis ita describit, ut serioris Eckhelii emendationis nullam rationem habeat; sed quum nullam causam afferat cur emendationem illam rejiciat, suspicor id non consulto sed per errorem factum esse, quod numum ex Catalogo Musei Cæsarei desumeret, serioris emendationis vel ignarus vel immemor. Eckhelii emendationem stabilire videtur numus Antinoi ap. Zoegam p. 161, no. 7 cum nota anni ιθ', in quo juvenis chlamydatus d. gestans caduceum lento equo inequitat, qui typus plane idem est, qui in tribus illis e Museo Cæsareo. Sequuntur tres numi ap. Zoegam parum dissimiles. Caduceus Antinoum *deum* Mercurii specie significat. Neque vero illud nullius est momenti, quod præter quatuor illos numos, de quibus disputamus utrum notam anni θ' an ιε' habeant, nulli alii reperiuntur ante annum ιε' cusi. Si enim Antinous re vera anno 875 mortuus esset et inter deos receptus, sine dubio reperti essent numi Alexandrini Antinoi herois cum nota anni στ' et sic deinceps sequentium annorum. Nunc vero si concedimus, in quatuor illis numis legendum esse θ', desunt

numi annorum ς', ζ', η', ι', ια', ιβ', ιγ', ιδ', id est octo priorum annorum post apotheosin Antinoi, quo tamen tempore probabile est Alexandrinos quam studiosissime daturos fuisse operam ut hanc apotheosin in numis exprimerent. Ad sententiam suam de morte Antinoi stabiliendam Zoega laudat numos Alexandrinos anni sexti cum lunula e regione capitis imperatoris, (vide no. 51, no. 56, no. 105), quum Tatian. adv. Græcos p. 41 narret, Antinoi herois animam ex opinione vulgi in lunam evectam esse. Si in numo Antinoi hæc lunula expressa fuisset, aliquid, non multum, tribuerem huic argumento; in Hadriani numo, imperatoris caput exprimente hanc lunulam potius omni alia ratione explicandam censeo quam ita ut ad Antinoum referatur, cujus ne levissima quidem in his numis sint vestigia. Cæterum stellam in numis Antinoi herois idem fere significare, quod Zoega per lunulam exprimi vult, jam supra diximus.

Sed fuerunt qui contenderent, Hadrianum tempore inter primam illam commorationem anni 875 et posteriorem anni 883 interjecto in Ægyptum venisse. Eckhel p. 99—115 affert Hadriani numos nomorum Ægyptiorum, quorum maximus est numerus, fere omnes anni ια'. Hos Vaillantius, Numism. Ægypt. p. 213, citatus ap. Eckhel. p. 489 ubi de tempore itineris Ægyptii disputat, censet testari Hadrianum anno imperii undecimo in Ægyptum venisse. Debebat vero annum imperii sive accuratius Trib. Pot. decimum statuere; nam annus undecimus in numis illis est Alexandrinus, qui incipit a. d. IV. Cal. Sept. anni 879, decimus autem Trib. Pot. annus fere medio mense Aug. anni 879. Eundem errorem commisit Belleyus, quem Eckhel l. l. refert numis illis nomorum motum opinari, Hadrianum, quum ejus profectio in Ægyptum vulgo a Chronologis in annum 883 differatur, anno imperii undecimo sive 880—881 iter in Ægyptum suscepisse diversum ab eo, quod biennio post susciperet.

Verum ut Vaillantium ita Belleyum fefellit annorum Alexandrinorum ratio. Itaque si verum esset numos illos nomorum adventum Hadriani in Ægyptum testari, adventus ille caderet in annos 879—880. Sed sub finem anni 879 vel initio anni 880 Hadrianus Athenis post commorationem trium annorum in Siciliam navigavit, unde Romam rediit, ibique saltem ad exitum anni 882 remansit; neque verosimile est illum, si sub finem æstatis anni 879 in Ægyptum excurrisset, et vel sub finem ejusdem anni vel initio sequentis in Siciliam proficisci statuisset, non recto itinere ex Ægypto Siciliam petiisse. Fieri poterat ut vel anno 877 vel 878 ex Achaia in Ægyptum excurreret, atque quum nondum de itinere in Siciliam suscipiendo cogitaret, inde in Achaiam rediret; atque tum demum ordinatis rebus Græcorum consilium de itinere in Siciliam faciendo caperet. Sed primum annus 877 vel 878 non consentit cum anno numorum, ex quibus hanc excursionem docere volunt; tum adversatur omnium scriptorum silentium; deinde nulla probabilis hujus excursionis causa excogitari potest. Hadrianus autem illo tempore in rebus Græcorum ordinandis multisque et magnificis operibus ibi exstruendis magis occupatus fuisse videtur, quam ut sine idonea causa in alias et longinquas regiones excurreret. Intellexit sibi ad hanc excursionem non tamen nisi brevius tempus relinqui, quare totam rem differre maluit, donec commorationi apud Ægyptios, quam illum jamdiu meditatum esse non dubito, longius temporis spatium concedi posse videretur. Triennium illud 876—879 diximus p. 88 sqq. Hadrianum eo contulisse ut provincias Græciæ et regiones adjacentes, Thraciam, Macedoniam, fortasse Epirum et Illyricum peragraret.

Pellerin, citatus ap. Eckhel. l. l. numos illos nomorum paulo aliter explicat: suspicatur enim Hadrianum anno XI, (utrum Trib. Pot. an Alexandrino non addit,) iter in Ægyptum intendisse, atque eum in finem, ut populum

novas res molientem beneficio aliquo sibi devinciret, omnes hos numos uno loco, id quod fabrica tota plane similis testetur, cudi ac muneris loco distribui jussisse. Verum hæc opinio omni caret fundamento. Nam ut gens Ægyptiorum satis mobilis atque ad rebellionem prona facile poterat hoc anno novas res moliri, ita hoc re vera factum esse nemo scriptorum commemorat. Neque apparet causa cur hoc iter intenderit tantummodo, non perfecerit. Zoega p. 113 hos numos cusos esse statuit ad celebrandum Hadriani decennium. Scilicet ut nuper diximus annus Alexandrinus undecimus et Trib. Pot. X fere eodem tempore incipiunt. Ad decennales imperii ludos idem p. 109 respicere putat numum inscriptum δε, id est δεκάτου, cum typo elephantis gradientis, aliumque ejusdem anni cum typo delphinis tridenti obvoluti, observans monetam Alexandrinam hoc et sequenti anno, in quos incidat Trib. Pot. X, exhibere animalia circo destinata, elephantes, boves cornupetas, hippopotamos, pantheras, etc. Eosdem numos habet Mionnet p. 163—167. Atque Zoega ad numum Domitiani no. 96 et ad numum Trajani no. 45 observat, annum imperii decimum solere in numis Alexandrinis celebrari. Constat elephantem gradientem in numis pro ludorum symbolo haberi, atque delphina tridenti obvolutum ludos navales significare; sed inscriptio δε. molestias facessit. Decimus enim annus Alexandrinorum incipit a. d. IV Cal. Sept. anni 878, Trib. Pot. X sive annus imperii decimus medio mense Aug. anni 879. Non igitur facile patet, qui Zoega dicere possit, numos illos inscriptos δε. una cum numis anni sequentis sive Alexandrinorum undecimi incidere in Trib. Pot. X, quum annus Alexandrinorum undecimus atque Trib. Pot. X fere eodem tempore incipiant, adeo ut non nisi ultimi novendecim dies anni Alexandrini decimi sint primi novendecim Trib. Pot. X. Si igitur ludi ad decennium imperii celebrandum ipso

initio Trib. Pot. X habiti essent, finiti essent ante initium anni Alexandrini undecimi, atque omnes numi ludorum testes notam anni ι′ gessissent. Sed dilatos fuisse hos ludos aliquamdiu, saltem ultra novendecim dies ab initio Trib. Pot. X, inde patet quod præter duos illos reliqui omnes numi ludorum testes notam anni ια′ habent. Difficultatem illam mihi videor ita expedire posse, ut, quum numi illi non ut vulgo nota numerali ι′ sed initio vocis δεκάτου inscripti sint, causam insolitæ inscriptionis illam esse statuamus, quod Alexandrini annum Trib. Pot. X, non suum annum decimum significare vellent. Nam ubi suum annum significant, vulgo nota numerali utuntur, non initio vocis vel tota voce numerum exprimente. Itaque et numi Alexandrini inscripti ια′ et illi pauci qui inscripti sunt δε. annum Trib. Pot. decimum significant. Quod Zoega numos illos nomorum inscriptos ια′ ad celebrandum Hadriani decennium cusos esse suspicatur, huic opinioni Eckhel l. l. adversari dicit numos Trajani similes cum nominibus nomorum, fere omnes inscriptos ιγ′. Atque ap. Mionnet. in numis nomorum p. 515—552 haud pauci inveniuntur numi Antonini inscripti η′, atque nonnulli verum pauci M. Aurelii cum eadem anni nota. Id quod non negamus haud leve esse ad labefactandam Zoegæ sententiam. Sed primum observandum est, non tantum esse numerum numorum illorum Trajani, quantum Hadriani; deinde quamquam patet, numos anni Alexandrini octavi vel tertii decimi, cujuscumque tandem sint imperatoris, non posse ad decennales imperii spectare, sed alia quacumque de causa, quam explicare huc non pertinet, esse cusos, nihil tamen impedit quo minus numi nomorum, qui aliam anni notam habent cum Trib. Pot. X congruentem, statuantur ad decennales imperii respicere. Atque id non in Hadriano solo factum esse, Zoega, ut diximus, in numis Domitiani et Trajani docuit. Fatemur igitur, ex omnibus, quas recensuimus, horum numorum explicationibus, nullam nobis hac probabiliorem videri. Utut est, adventum Hadriani in Ægyptum non significant.

Caput XV.

Ex Ægypto Hadrianum in Syriam Palæstinam se contulisse, ibique adhuc anno 887 commoratum esse statuit Zoega. Quæ sententia quamquam nullis disertis scriptorum aliorumve monumentorum testimoniis nititur, per se satis est probabilis. Romam eum venisse ante Nonas Majas anni 888 patet ex inscriptione ap. Gruter. p. 315, 9, quæ exhibet literas ab Hadriano ad congregationem palæstricam datas. Notationem habet et temporis et loci accuratissimam; primum δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ ιη′, ὕπατος τὸ γ′, πατὴρ πατρίδος, tum in fine: πρὸ γ′ νωνῶν Μαϊῶν ἀπὸ Ῥώμης. Atque jam sub finem æstatis anni 887 Hadrianum Romam venisse, indicare videtur inscriptio ap. Gruter. p. 249, posita anno Trib. Pot. XVII, qua Colonia Ostia conservatam se et auctam omni indulgentia et liberalitate Hadriani prædicat. Scilicet Trib. Pot. XVII desinit medio fere mense Aug. anni 887. Non tamen multum tribuo huic argumento, quoniam beneficia illa poterant ab imperatore absente in urbem illam collata esse. Si autem inscriptionem Hadriano præsenti positam esse statuimus, unus annus isque vix totus inter discessum ex Ægypto et adventum in Italiam relinquitur. Non enim ante exitum mensis Aug. anni 886 Hadrianum ex Ægypto discessisse jam docuimus. Annum illum in bello Judaico gerendo et rebus Judææ ordinandis consumptum esse, quum per se probabile est, tum innuere

videtur Dio Cassius p. 1161—1164. Is enim in enarrando bello Judaico, commemoratis innumeris et Judæorum et Romanorum cladibus, hæc addit: διὸ (propterea quod etiam ex Romanis multi in eo bello perierant) καὶ ὁ Ἀδριανὸς γράφων πρὸς τὴν βουλὴν οὐκ ἐχρήσατο τῷ προοιμίῳ τῷ συνήθει τοῖς αὐτοκράτορσι, ὅτι, Εἰ αὐτοί τε καὶ οἱ παῖδες ὑμῶν ὑγιαίνετε εὖ ἂν ἔχοι. ἐγὼ καὶ τὰ στρατεύματα ὑγιαίνομεν. Has literas non ex Ægypto datas esse patet; inde enim discessit ad initia belli Judaici. Atque si vel neglectis argumentis illis, quibus docuimus Hadrianum anno 886 ex Ægypto digressum esse, statuamus illum vel ad finem usque anni 887 vel ad initium veris 888 apud Ægyptios remansisse, indeque recto itinere Romam petiisse, haud facile explicuerit quisquam, quo pertineat commemoratio exercituum. Nam apud Ægyptios Hadrianus non præerat exercitui neque bellum gerebat. Necesse est igitur statuamus, illum vel ipsum bello Judaico interfuisse, vel saltem ita in propinquo fuisse, ut imperatorio officio ipse fungi videretur. Accedit auctoritas scriptorum Judaicorum, qui teste F. Münter, *der jüdische Krieg p.* 83, Hadrianum ipsum huic bello interfuisse referunt. Nihilo tamen minus vir ille doctissimus spreta Dionis et scriptorum Judaicorum auctoritate contendit Hadrianum non interfuisse bello Judaico, *quod illo tempore, quo hoc bellum gereretur in Italia commoraretur;* atque hanc fuisse causam cur formulam illam omitteret. Verum Hadrianum illo tempore in Italia fuisse, id neque demonstrat neque demonstrare potuit. Præterea quum ipse olim sermone mecum habito conquestus sit, totam rationem itinerum Hadriani parum exploratam esse, atque auctor mihi fuerit, ut hanc rem si possem expedirem atque ad liquidum perducerem; vix ipse multum tribuit huic argumento. Quare ego non dubito auctoritatem scriptorum Judaicorum et Dionis sequi. Neque enim probabile est illos in hac re

errasse, quam necessario scire debebant; atque Dio ipse p. 1149 refert se ab Aproniano patre, Ciliciæ Præfecto omnes res Hadriani pro certo exploratas didicisse. Et quamquam de tempore quo datæ sint illæ literæ nihil pro certo constat, atque probabile est bellum Judaicum jam aliquamdiu, saltem menses aliquot gestum fuisse ante quam Hadrianus ex Ægypto discederet, non tamen dixerim literas illas initio belli, dum adhuc apud Ægyptios commoraretur, ad Senatum datas esse, nam Dio Cassius refert p. 1161 Romanos initio hoc bellum nihili fecisse, literæ vero omissa formula solenni significant Romanos jam graves clades passos esse. Pertinent igitur ad finem belli, quod anno 888 compositum esse diximus, atque videntur anno 887 datæ esse. Hadrianum e Judæa vel Syria propinqua, non Athenis, ut nonnulli volunt, Romam rediisse, potest quodammodo e narratione Dionis l. l. elici, quamquam cæterum aliis nominibus confusa atque perturbata, nec rerum gestarum ordinem accurate servante. Is enim commemoratis literis illis brevi post subjungit: ὁ μὲν οὖν Ἰουδαίων πόλεμος ἐς τοῦτο ἐτελεύτησε. Deinde inserta brevissima narratione de motibus Alanorum refert Hadrianum legatos Vologaesi et Jazygum in Senatum introduxisse, et Pharasmani cum uxore Romam profecto in Capitolio sacra facere permisisse. Confusam diximus narrationem Dionis; nam post legationes illas in Senatum post finitum bellum Judaicum ab Hadriano introductas sequitur narratio de dedicatione Olympiei, de Dionysiis apud Athenienses ab Hadriano Archonte celebratis, de Panhellenio sive templo Hadriani ab omnibus Græcis ædificato, de legibus Atheniensibus datis, deque aliis beneficiis in eos collatis; atque tum denique subjungit: εἰς δὲ τὴν Ῥώμην ἐλθὼν (ὁ Ἀδριανὸς). Hæc omnia autem diu ante initium, non post finem belli Judaici gesta esse constat; neque Hadrianus post bellum Judaicum bis Romam venit, id quod narratio Dionis

innuere videtur, quum primum de legationibus illis ab Hadriano in Senatum post finitum bellum Judaicum introductis disserat, atque deinde interjecta narratione de rebus apud Athenienses gestis Hadrianum Romam venisse rursus narret, statim deinde morbum et mortem Hadriani commemorans. Ne tamen major, quam par est, in Dione culpa remaneat, observemus non quidem narrationem de bello Alanorum sed de legationibus illis insertam esse, fortasse alieno loco, ex excerptis Valesianis; atque quum liber Dionis 69nus qui res Hadriani complectitur, inter illos pertineat, qui non integri nobis relicti sunt sed a Xiphilino immutati et in brevius contracti; facile fieri poterat ut etiam tota narratio de rebus apud Athenienses gestis, quæ cæterum brevissima, 13 versibus in ed. Sturzii, absolvitur, in excerptis Xiphilini alieno loco interponeretur.

Hoc loco breviter commemoranda est sententia quorundam, qui Hadrianum non e bello Judaico prope finito Romam rediisse statuunt, sed ex Ægypto per Syriam Athenas esse profectum, ita ut non nisi per exiguum temporis spatium bello Judaico interesset, sed Athenis diutius commoraretur, donec finitis itineribus Romam rediret. Chr. Dan. Beck, Allgem. Weltgeschichte Vol. II, p. 419 statuit Hadrianum ex Ægypto per Syriam, Thraciam, Macedoniam anno 887 Athenas venisse ibique diutius commoratum esse, quum sequenti demum anno Romam rediret. Hoc ille videtur desumpsisse ex opere illo inepto, quod inscribitur Allg. Welthist., ex Anglico sermone in Germanicum converso a S. J. Baumgarten LIII voll. 4, ubi vol. XIII, p. 304 Hadrianus dicitur ex Ægypto post mortem Antinoi in Syriam profectus esse, indeque primo vere per Thraciam et Macedoniam Athenas venisse, atque ibi satis diu remansisse, donec in Italiam rediret. Verum hujus narrationis nulla auctoritas affertur; atque quam parum auctor itinerum Hadriani

rationem perceperit inde patet, quod tunc demum, dum Hadrianus ex Ægypto et Syria digressus apud Athenienses commoraretur, rebellionem Judæorum exarsisse dicit. Zumptius, Annal. ad annum 885: *Hadrianus in Ægypto versans Antinoum amittit;* ad annum 886: *Postquam Hadrianus ex Syria Athenas rediit, Judæi rebellant;* ad annum 887 nihil; ad annum 888: *Hierosolymorum excidium.* Videtur igitur statuere, Hadrianum hiemem inter 886 et 887 interjectam apud Athenienses exegisse. Num idem statuat Schlosser, Universalhist. Uebersicht der Gesch. d. alten Welt, vol. III, I, p. 322 sqq. non perspicio. Nam in commemorando secundo Hadriani orbis Romani circuitu refert illum per Achaiam, Syriam, Palæstinam in Ægyptum esse profectum ibique unum annum remansisse; atque quum hanc commorationem apud Ægyptios, tum hiemationem apud Athenienses, quo per Asiam, Byzantium, Thraciam venisset, summi esse momenti ad mores temporum illorum rite æstimandos. Quo loco dubius hæreo, utrum hanc hiemationem apud Athenienses dicat priorem illam sub finem prioris magni circuitus orbis Romani, quam jam antea commemoravit, an aliam quandam post commorationem apud Ægyptios. Prius tamen magis verosimile videtur. Sed utut est, non magna est summi illius viri in hac re auctoritas; ipse enim confitetur doctos frustra dedisse operam ut ordinem itinerum Hadriani pro certo constituerent; se tantummodo probabilia sequi, neque de his itineribus, quo quodque anno susceptum sit, affirmare quidquam. Nos quidem de hac commoratione apud Athenienses neque affirmamus, neque negamus. Si recte statuimus literas illas ad Senatum omissa solenni formula ex Syria anno 887 esse datas, non potuit commoratio apud Athenienses esse diuturna, quoniam sub finem ejusdem anni vel initio sequentis Romam venit. Sed rursus non improbabile est voluisse Hadrianum, si vel

tantummodo in transcursu, dilectas sibi Athenas denuo invisere.

Finita igitur disquisitione de itineribus Hadriani, consentaneum videtur inscriptiones quasdam et alia monumenta ad ultimum Hadriani tempus pertinentia subjungere, inprimis quæ ad opera Romæ exstructa spectant. Spartianus c. 19 de operibus publicis ab Hadriano Romæ factis: "Quum opera, inquit, ubique infinita fecisset, numquam ipse nisi in Trajani patris templo nomen suum scripsit. Romæ instauravit Pantheum, Septa, Basilicam Neptuni, sacras ædes plurimas, Forum Augusti, lavacrum Agrippæ, eaque omnia propriis et veteribus nominibus consecravit. Fecit et sui nominis pontem, et sepulchrum juxta Tiberim, et ædem Bonæ Deæ transtulit et Colossum stantem et suspensum per Decrianum architectum de eo loco, in quo nunc templum urbis est, ingenti molimine, ita ut operi etiam elephantes viginti quatuor exhiberet. Et quum hoc simulacrum post Neronis vultum, cui antea dicatum fuerat, Soli consecrasset, aliud tale Apollodoro architecto auctore facere Lunæ molitus est." Capitolinus in vita Antonini Pii c. 4 refert Antoninum ad opera Hadriani plurimum contulisse, scilicet, ut ego suspicor, si quæ imperfecta reliquerat Hadrianus; tum c. 8, templum Hadriani et sepulchrum Hadriani Romæ ab Antonino Pio fuisse exstructum. Hadrianus igitur sepulchrum suum tantummodo inchoaverat. Ad pontem Ælium ab Hadriano Tiberi impositum, cujus meminit præter Spartian. Dio Cass. p. 1170, respicit numus Hadriani ap. Eckhel. p. 511, repræsentans pontem octo columnarum, quibus totidem statuæ impositæ sunt. Ad hunc pontem Murator. p. 233 retrahit inscriptionem Romæ in ponte St. Petri: *Imp. Cæsar Divi Trajani Parthici filius, Divi Nervæ nepos, Trajanus Hadrianus Augustus Pontif. Maxim. Tribun. Potest. XVIII, Cos. III, P. P. fecit.* Unde sequitur hunc pontem factum

esse anno 888 vel 889. Pausan. l. VI, p. 200 Fac. commemorat portum Lupiæ sive Sybaris ab Hadriano arte factum, sed quo tempore non dicit. Amphitheatrum Capuæ ab Hadriano restitutum fuisse docet inscriptio ap. Orell. II, p. 69 prope ruinas Amphitheatri inventa: *Colonia Julia Felix Aug. Capua fecit, Divus Hadrianus Aug. restitui imagines et columnas addi curavit, Imp. Cæs. T. Ælius Hadrianus Antoninus Aug. Pius dedicavit.* Quæ inscriptio quum ad opera ab Antonino perfecta, ab Hadriano tantummodo inchoata, pertineat, indicat hoc opus ad seriora tempora pertinere. Ex inscriptione alia ap. eundem I, p. 398, Romæ reperta, patet Hadrianum Trib. Pot. XX Auguratorium dilapsum a solo pecunia sua restituisse. Aliam inscriptionem ap. eundem I, p. 436, apud oppidum civitatis Laviniæ repertam, unde patet Hadrianum Trib. Pot. XX statuam ex donis aureis et argenteis vetustate corruptis fieri et consecrari jussisse, p. 47 descripsi. Ad hæc tempora pertinet inscriptio ap. Murat. p. 233: *Imp. Cæs. Trajano Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot. XVIII, Cos. III, P. P. Vicani Forulani.* Forulum vicum ap. Sabinos commemorat Virg. Æn. 7, 714. Orell. I, p. 1 affert inscriptionem a Magistris vicorum urbis positam Hadriano Trib. Pot. XX. Muratori denique p. 452 exhibet inscriptionem Romæ in ponte Neronis: *Imp. Cæs.... Trajano Hadriano Aug. Pont. Max. Trib. Pot. XXII, Imp. II, Cos. III.* Sed ut recte observat Orell. I, p. 195 spurii sunt lapides, qui Hadriani Trib. Pot. XXII præ se ferunt. Anni enim imperii ejus tantummodo Trib. Pot. XXI admittunt, quoniam, ut jam diximus, imperium et Tribuniciam potestatem suscepit. a. d. tert. Id. Aug. anni 870, atque mortuus est a. d. VI Id. Jul. anni 891.